



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VIII. De supernaturali Providentia circa reprobos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

& grat. cap. citato. Cum igitur S. Augustinus dicit, necesse esse ut homo salvetur, si Deus absolute & efficaciter velit illum salvari, loquitur quidem de necessitate extrinseca, & quæ proinde libertati hominis nullatenus potest officere, sed simul antecedente, invariabili & insuperabili, utpotè orta ex suppositione simpliciter antecedente, invariabili & insuperabili, hoc est, ex suppositione decreti absoluti & efficaci, quo Deus hominem salvari, ex mero voluntatis suæ beneplacito vult invariabiliter & insuperabiliter; quia sic vult ab æterno & pro æterno, & magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi habeant; cum habeat omnipotentissimam potestatem humanorum cordium, quod placet, inclinandum. Unde non aliud possunt homines facere, quam quod Deus vult eos facere, & eo modo facere, quo Deus vult eos facere; & ita non possunt non facere, & contingenter ac liberè facere, quod Deus absolute & efficaciter non modò vult eos facere, sed etiam contingenter ac liberè facere. Igitur secundum S. Augustini doctrinam, Deo gratuito prædestinatos eligente ad gloriam, ut consequendam per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut gloriam consequantur per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia: Deo absolute & efficaciter ex mero voluntatis suæ placito volente, ut prædestinati gloriam consequantur, liberè credendo, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem liberè perseverando, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, prædestinatos gloriam consequi, liberè credendo, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem liberè perseverando; Deo absolute & efficaciter ex gratuito salutis prædestinatorum affectu volente, ut contingenter & liberè credant, justificationis gratiam obtineant, mandata divina impleant, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, atque ita contingenter & liberè cooperantes Deo eos vocanti & adjuvanti salventur, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut contingenter & liberè credant, justificationis gratiam obtineant, &c.

Eandem porò extrinsecam necessitatem post S. Augustinum agnoscit S. Thomas hic q. 19. a. 8. ad 1. ubi hæc S. Augustini verba, *Necesse est fieri, si voluerit, à nobis laudata, interpretans, sic ait: Per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si hoc vult, necesse est hoc esse.* Itaque juxta Doctorem Angelicum Augustini verba interpretantem, 1. res à Deo absolute & efficaciter volitæ sunt necessariae. 2. At non sunt necessariae absoluta necessitate, quæ omnem contingentiam, proindeque & omnem libertatem excludit. 3. Sed sunt propter divinum decretum necessariae necessitate hypothetica tantum. 4. Et ita propter decretum divinum non sunt necessariae necessitate consequentis, sed consequentiae tantum, quatenus hoc tantum sensu necessariae sunt, quod non possit non esse verum eas fore, ex hypothesi quod Deus absolute & efficaciter decreverit eas aliquando esse, & ita non possit non esse verum eas necessariò fore, ex hypothesi quod Deus decreverit eas non solum esse, sed etiam necessariò esse, & è contrà non possit non esse verum eas fore contingenter & liberè, ex hypothesi quod Deus decreverit eas non solum esse, sed etiam esse contingenter & liberè. Hujus autem necessitatis consequentiae rationem repetit Doctor Angelicus à summa divinae voluntatis efficacia, quæ non solum substantiam, sed etiam modum effectuum insuperabiliter attingit, ac proinde rebus, quas vult necessariò fieri, causas necessarias, à quibus non modò fiant, sed etiam necessariò fiant; rebus verò quas vult contingenter & liberè fieri, causas contingentes & defectibiles, à quibus non modò fiant, sed etiam contingenter & liberè fiant, apravit & quidem cum summa efficacia, hoc est, infallibiliter propter infinitam Dei sapientiam, & inimpedibiliter propter ejus omnipotentiam; ex his

enim duobus attributis oritur summa divinae voluntatis efficacia. Cum voluntas divina sit efficacissima, inquit S. Doctor in O. non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quedam fieri Deus necessariò, quedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus apravit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. Quibusdam autem apravit causas contingentes & defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Jam verò cum hæc necessitas consequentiae, quam docet S. Thomas post S. Augustinum resultare ex suppositione decreti divini absoluti & efficaci, necessariò commensuretur suppositioni, ex qua resultat, ut per se clarum est; & decretum divinum absolutum & efficax, quod scilicet nullam habet rationem ex parte creaturæ: de tali enim hic agitur; faciat suppositionem simpliciter antecedentem, invariabilem & insuperabilem, utpotè planè independentem à creatura, invariabile & insuperabile; manifestè sequitur, secundum Doctorem Angelicum, non solum in effectus necessarios, sed etiam in contingentes & liberos ex suppositione divini decreti absoluti & efficaci, resultare necessitatem consequentiae antecedentem, hoc est, à creatura libera planè independentem, invariabilem & insuperabilem; proindeque secundum Angelicum Doctorem, ex hypothesi quod Deus gratuito prædestinatos elegerit ad gloriam, ut per fidem & alia opera salutaria contingenter & liberè consequendam, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium esse, non solum ut prædestinati gloriam consequantur, sed etiam ut per fidem & alia pietatis opera consequantur contingenter & liberè, & ita antecedenter, invariabiliter atque insuperabiliter necessarium esse, ut prædestinati credant, mandata divina impleant, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, & hæc omnia per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia fiant.

Ex his autem, quæ de summa illa necessitate extrinseca dicta sunt, apparet perperam ad media salutis irresistibilia, seu voluntatis prædeterminativa, & ad alteram contradictionis partem alligativa recurri, ut salvetur certitudo & infallibilitas salutis prædestinatorum: cum illius etiam ut peragendæ per media de se fallibilia & repudiabilia haberi possit certitudo & infallibilitas summa. Ad quod tria omnino sufficiunt. 1. Ut Deo, propter infinitam ejus sapientiam, deesse non possint media etiam de se fallibilia & repudiabilia, quibus prædestinatos in salutem efficaciter dirigat. 2. Ut propter suam omnipotentiam à medio illorum executione impediti non possit. 3. Ut absolute & efficaciter velit prædestinatos in salutem dirigere. Ex his enim tribus, salutis prædestinatorum, etiam ut peragendæ per media de se fallibilia & repudiabilia, oritur extrinseca necessitas, quæ summam certitudinem & infallibilitatem facit. Quod enim antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, summè certum est & infallibile. Nec alia fuit S. Augustini, & post eum S. Thomæ circa prædestinationis certitudinem sententia & doctrina, ut de utroque satis ostensum est. Addo, quod per se clarum est, hoc pacto & libertati humanæ longè melius consuli, atque sapientiam & omnipotentiam divinam longè magis commendari.

DISPUTATIO VIII.

De supernaturali Providentia circa reprobos.

NOta. Reprobis dicuntur ii omnes & soli, qui in statu peccati mortalis moriuntur, sive ante, sive post adultæm ætatem, & idcirco damnantur. Dicuntur autem reprobis seu reprobat, quia rejiciuntur à Deo. Quod fit dupliciter, ut modò probabitur. 1. Negativè, quatenus à Deo non eliguntur ad gloriam, & consequenter non præparantur illis beneficia, quibus cum cer-

tissimè

issimè liberantur, quicumque liberantur; vel, ut adhuc loquitur S. Augustinus, quatenus non separantur, non discernuntur à massa perditionis, sed in ea derelinquuntur, denegata eis discretionē & separatione illa, quæ fit per gratiam electionem, ad gloriam, & gratiam præordinationem & dispositionem mediorum cum gloriæ assecutione certò & infallibiliter connexorum. 2. Positivè, quatenus à Deo deputantur ad supplicium æternum, vel propter peccatum originale, vel propter peccata actualia, vel propter originale, simul & actualia. Reprobi satis communiter vocantur à Scholasticis Doctoribus præciti, non quòd prædestinati non sint etiam præciti: ut enim ait Apostolus, quos præcivit & prædestinavit Deus, nec repulit plebem, quam præcivit. Sed quia Deus non prædestinavit demerita reproborum, sed solum præcivit, & è contrà non solum absolute præcivit, sed etiam prædestinavit bona merita & perseverantiam finalem electorum. Doctores commune nomen relinquunt reprobis, ut electos nomine sibi proprio nuncupent, reprobis nomen præcitorum attribuendo, electis verò prædestinatorum nomen relinquo. Circa reprobos autem duo hic queruntur. 1. Utrum detur reprobatio tam positiva, quam negativa, & an habeat causam ex parte reproborum. 2. Utrum Deus sincerè velit omnium reproborum salutem.

ARTICULUS I.

Utrum detur reprobatio tam positiva, quam negativa, & an utraque habeat causam ex parte reproborum.

RESPONSIO I.

Datur reprobatio positivè.

Prob. Reprobatio positiva est absoluta & efficax voluntas damnandi & supplicii æterni addicendi eos omnes, qui moriuntur in statu peccati mortalis. Atqui Deus habet hanc voluntatem. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam Deus ea tantum facit in tempore, quæ absolute & efficaciter decrevit in sua æternitate. Atqui re ipsa, ut fides docet, Deus eos omnes, qui moriuntur in statu peccati mortalis, damnat, & æternis suppliciis addicit. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Reprobatio positiva habet causam ex parte reproborum.

Prob. 1. ex Script. Nam Matth. c. 25. Christus dicit reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Ergo Deus damnat reprobos propter eorum demerita. Ergo ab æterno decrevit illos damnare, quia absolute prævidit eorum demerita. 2. Ex S. Augustino lib. 3. contra Julianum c. 18. *Bonus est Deus, inquit, iustus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quinquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Atqui quod Deus sine malis meritis non potest facere in tempore, non potuit sine absoluta malorum meritorum prævisione velle in sua æternitate. Ergo ex S. Augustino, Deus non potuit velle damnare reprobos, nisi propter eorum mala merita absolute prævisa. 3. Ratione. Deus non potuit in æternitate sua præparare penam aliquam sine iusta causa illam præparandi, sicut nec potest penam aliquam infligere in tempore sine iusta causa illam infligendi: Deus enim iniustus esse non potest. Atqui iusta causa præparandi penam aliquam, alia esse non potuit, quam peccatum futurum, & absolute præciturum; sicut iusta causa infligendi penam alia esse non potest, quam peccatum in re admissum: ut enim dicit S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Omnis pœna, si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Ergo Deus non potuit in æternitate sua præparare penam aliquam, nisi propter peccatum absolute futurum & absolute prævisum; sicut nec potest penam aliquam infligere in tempore, nisi propter peccatum in re ad-

Simonet Theol. Tom. I.

missum. Sed æterna damnatio est pœna, & omnium pœnarum maxima. Ergo Deus non potuit in æternitate sua præparare damnationem æternam, nisi propter peccatum absolute futurum, & prævisum absolute: sicut nec potest illam nisi propter peccatum in re admissum infligere in tempore.

Positiva igitur reprobatio supponit absolutam prævisionem peccati originalis vel actualis. Dico autem, originalis, vel actualis, quia Deus positivè reprobat alios propter peccatum originale tantum, nempe parvulos non baptizatos; alios propter actuale tantum, nempe adultos baptizatos; alios denique propter originale simul & actuale, nempe infideles adultos. Porro audiendi non sunt, qui dicunt omnes reprobos à Deo positivè reprobatos esse propter solum originale absolute prævisum; seu, quod idem est, ex sola prævisione absoluta peccati originalis Deum reprobis omnibus absolute & efficaciter decrevisse damnationem æternam: nam multi reprobi baptizantur, & per baptismum justificantur, & ita multis reprobis peccatum originale verè & propriè remittitur quoad reatum culpæ. Ergo multis reprobis peccatum originale remittitur quoad reatum pœnæ æternæ: reatus enim culpæ non remittitur à Deo sine reatu pœnæ æternæ, & de lege Dei ordinaria duo illi reatus sunt inseparabiles, atque ita aut manent ambo, aut ambo tolluntur; quamvis remisso reatu culpæ, non semper remittatur omnis pœna peccato debita, ac proinde remisso quoad reatum culpæ originali peccato, non idcirco tollantur concupiscentia, ignorantia, mortalitas, & aliæ innumerae miseriae, quæ sunt iustæ originalis peccati pœnæ. Ergo multis reprobis remittitur originale peccatum, ut est causa damnationis æternæ. Unde Apostolus de baptizatis loquens Rom. c. 8. ait: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, hoc est, juxta Tridentini interpretationem, in iis qui baptizati sunt, & per baptismum justificati, nulla est damnationis causa: ita ut si statim post acceptum baptismum ex hac vita migrare eis contingat, nihil planè habeant, quod eos ab ingressu cæli remoretur, ac proinde ne quidem ulla temporalis pœna eis in altera vita supersit propter originale peccatum luenda. Ergo Deus ab æterno voluit multis reprobis condonare peccatum originale, ut est causa damnationis æternæ. Atqui hoc volendo non potuit simul velle illos damnare propter peccatum originale; alioqui simul voluisset & noluisse illis condonare peccatum originale, ut est causa damnationis æternæ. Quod evidenter repugnat. Ergo manifestè falsum est, & contra fidem, quòd Deus omnes reprobos positivè reprobaverit ex sola prævisione absoluta peccati originalis.

RESPONSIO III.

Datur etiam reprobatio negativa.

Prob. Negatio gratiæ electionis ad gloriam est reprobatio negativa. Atqui datur in Deo negatio gratiæ electionis ad gloriam respectu multorum hominum, eorum scilicet omnium, qui damnantur. Ergo datur reprobatio negativa. Minor patet. Nullus enim ex iis, quos Deus gratuito elegit ad gloriam, perit, aut etiam perire potest: cum, ut accurate probatum est, ex gratuita ad gloriam electione resulter in electis antecedens, invariabilis & insuperabilis necessitas extrinseca consequendæ salutis.

Prob. ergo maj. 1. Negatio gratiæ electionis ad gloriam est quædam reprobatio & rejectio. Deus enim iis tantum, quos gratuito elegit ad gloriam, ab æterno præparavit & in tempore donat perseverantiam finalem, sine qua nemo salvatur, aut salvari potest. Ergo hoc ipso quòd aliquis non est gratuito ad gloriam electus, meritò censetur aliquo modo reprobatus, & rejectus à salute.

2. Est reprobatio negativa, non positiva: nam hæc non electio non est voluntas acque formalis neque interpretativa non electos excludendi à gloria, & multò minus est voluntas damnandi: sed est formaliter negatio voluntatis absolutæ & efficacis perducendi ad gloriam, quacum connexa est negatio præparationis me-

I 4 dio

diorum cum affectione gloriæ connexorum, vel, si vis, quacum connexa est negatio præparationis perseverantiæ finalis in eternitate, ejusque donationis in tempore: sic tamen, ut pro signo, pro quo fit illa non electio, Deus habeat sinceram voluntatem, licet conditionatam ex parte objecti, non electos salvandi, & ad hunc finem providendi illis media sufficientia, quibus rectè utendo salvarentur, quibuscum tamen, quia iis rectè uti nolent, Deo sincerè, non tamen efficaciter repugnante, sed liberum gratiarum suarum abusum permittente, propter demerita sua justè damnabuntur.

RESPONSIO IV.

Reprobatio negativa facta est post absolutam prævisionem peccati originalis.

Prob. Nam non electio reproborum pro illo signo facta est, pro quo facta est prædestinatorum electio. Atqui gratuita prædestinatorum electio ad gloriam facta est post absolutam prævisionem peccati originalis. Ergo, &c. *Prob. 1. maj.* Nam Deus non aliter reprobos non elegit, quàm eligendi prædestinatos, illis, & non aliis, absolutè & efficaciter volendo gloriam, atque vi hujus voluntatis absolutè & efficacis, illis, & non aliis, præparando finalem perseverantiam, & mortem in statu gratiæ, illis præ aliis, in mente sua disponendo & præordinando media, quibus efficaciter in gloriam dirigerentur.

Prob. 2. min. Nam prædestinatio, seu præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur, facta est post absolutam prævisionem peccati originalis, ut suo loco probatum est. Ergo & gratuita electio ad gloriam, vi cuius facta est hæc præparatio. Et verò si gratuita ad gloriam electio ante absolutam prævisionem peccati originalis facta est, nequidem apparens esset ratio asserendi præparationem mediocum, quibus electi in gloriam diriguntur, factam esse post absolutam peccati originalis prævisionem. Negativa igitur reprobatio, sicut & gratuita ad gloriam electio, & quæ à gratuita ad gloriam electione virtualiter causatur, prædestinatio, facta est post absolutam prævisionem peccati originalis.

Hoc perpetuò supponit, vel asserit S. Augustinus, præsertim in libris post exortam Semipelagianorum hæresim scriptis. Unum sit pro omnibus testimonium, quod habemus lib. de corr. & grat. c. 7. ubi postquam S. Doctor sic locutus est de electis: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, ista divine gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quin & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, &c.* sic extremo capite de reprobis loquitur: *Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsi sunt... non sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi, &c.*

Hanc autem doctrinam accepit ab Apostolo Rom. cap. 9. ubi de salvandorum prædestinatione & negativa rejectione damnandorum disserens, sic ait: *Non volentis, neque currentis, sed misentis est Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat... An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Negativa igitur reprobatio, sicut & prædestinatio, ac proinde & gratuita ad gloriam electio, supponit, juxta Apostolum, miseriam peccati originalis, & genus humanum per peccatum originale factum massam quandam corruptam.

RESPONSIO V.

Negativa reprobatio habet causam ex parte reproborum, nempe peccatum originale, si ipsa sumatur absolutè; si verò comparativè sumatur, non habet aliam causam præter divinum beneplacitum.

Prob. 1. pars. nempe quòd negativa reprobatio, absolutè sumpta, habeat pro causa peccatum originale in præscientia. Nam 1. negativa reprobatio facta est post absolutam prævisionem peccati originalis. 2. Pec-

catum originale absolutè prævisum, est sufficiens causa ad reprobandum negativè. Ergo omninò dicendus est Deus ob peccatum originale negativè reprobasse, quocumque negativè reprobovit. Consequenter patet. Nam si quæ causa reprobationis negativæ assignari potest ex parte reproborum, omninò assignanda est, ut sic plausibilius defendatur bonitas divina. Prima verò pars ant. jam probata est.

Secunda facillè probatur. Deus enim potuit etiam positivè excludere omnes homines à gloria propter peccatum originale absolutè prævisum: nam peccatum originale est peccatum mortale, propter quod omnes homines, naturaliter scilicet ab Adamo descendentes, nascuntur filii iræ, inimici Dei, servi diaboli, & rei damnationis æternæ. Ergo Deus à fortiori potuit negativè reprobare homines omnes propter peccatum originale absolutè prævisum, nullis volendo absolutè & efficaciter gloriam, & ita nullis præparando media, quibuscum essent re ipsa gloriam assecuturi, fuissetque adhuc magna erga omni beneficio divino, præsertim supernaturali indignos, beneficentia, quòd omnibus ex sincera, licet non absoluta & efficacis voluntate eos salvandi, præparasset media ad salutem obtinendam idonea & sufficientia, quorum abusum permittendi non defuissent rationes convenientissimæ, nec Deo indignæ. Ergo revera Deus eos omnes, qui damnatur, negativè reprobovit ex absoluta prævisione peccati originalis. Quod confirmatur autoritate S. Augustini lib. de præd. Sanct. c. 14. ubi contra Massilienses sic loquitur: *Veniunt contra Dei manifestissimam gratiam (gratuitam scilicet perseverantiæ finalis præparationem) quæ maxime apparet in parvulis, quorum cum alii baptizati, alii non baptizati vite hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam & iudicium, misericordiam quidem gratuitam, iudicium debitum.*

Deus igitur, juxta S. Augustinum, exercet misericordiam, præparando perseverantiam finalem, eamque donando iis, quos elegit; & iudicium, non præparando, nec donando iis quos non elegit. Unde sic argumtor breviter. Deus justum iudicium exercet, negativè reprobandò, & sic justam vindictam sumendo de peccato originali. Atqui eatenus vindictam sumit de peccato originali, negativè reprobandò, quatenus, quos reprobat, negativè reprobat propter peccatum originale absolutè prævisum. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. nempe quòd negativa reprobatio, sumpta comparativè, non habeat causam ex parte reproborum. Nam ex parte reproborum non datur causa, cur potius non eligantur ad gloriam, nec prædestinentur ipsi, quàm alii, qui ad gloriam eliguntur, & prædestinantur. Ergo, &c. Consequenter patet. *Prob. ant.* Nam si datur aliqua causa, certè aliquod peccatum. Atqui hoc dici non potest. Peccatum enim illud, quod esset causa, cur hi potius, quàm illi non eligerentur, vel esset peccatum originale, vel aliquod actuale. Neutrum dici potest. Non primum. Nam peccatum originale est omnibus commune, & consequenter non potest esse causa, cur uni rejiciantur potius quàm alii, cur unos potius velit Deus eligere ad gloriam, & prædestinare, quam alios. Non etiam secundum, quod esset manifestè contra Apostolum, dicentem Rom. c. 9. de Jacob & Esau, *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ergo ex Apostolo, ante absolutam prævisionem quorumcumque operum sive bonorum, sive malorum operum, Deus sicut unum dilexit, & idcirco prædestinavit, nempe Jacob; ita & alterum, nempe Esau, odio habuit, seu non dilexit, ea scilicet speciali dilectione, vi cuius prædestinavit quoscumque prædestinavit; & quia non dilexit, negativè reprobovit, non prædestinando, sed communi providentiæ relinquendo. Quare autem Deus ex duobus condemnationis ejusdem reis unum dilexerit, alterum non dilexerit; unum elegerit, alterum non elegerit; unum prædestinavit, alterum non prædestinavit, nullam

aliam

ARTICULUS II.

*Utrum Deus habeat sinceram voluntatem
salvandi omnes reprobos.*

aliam rationem præter beneplacitum divinum assignari posse, docet ibidem Apostolus: sic enim prosequitur: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* ... Ergo cuius vult misereatur, & quem vult indurat, &c. Hinc illud S. Augustini ad inscrutabilia Dei iudicia confugientis, epist. 105. ad Sixtum: *Cur illum potius quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caveat precipitium.* Non esset autem cur ad inscrutabilia Dei iudicia recurretur, si negativa reprobatio ex parte ipsorum reprobatorum causam aliquam haberet comparatè ad alios, qui eliguntur, & prædestinantur à Deo, ut per se manifestum est.

Dices, contra 1. partem. Multi sunt adulti reprobi, quibus originale peccatum condonatur. Ergo in illis saltem peccatum originale non potuit esse causa reprobationis negativæ. R. neg. conseq. Probabis. Deus non puniret peccatum condonatum. Sed si reprobi illi negativè reprobandentur propter peccatum originale, Deus puniret peccatum condonatum. Ergo, &c. R. Deum non punire peccatum condonatum privatione gloriæ, aut gratiæ sanctificantis, aut etiam gratiæ actualis sufficientis: iustum enim non deserit, nisi prius ab eo deleatur. At sicut peccatum condonatum in electis punit privatione uberioris gratiæ, antiquæ familiaritatis, vel saltem bonorum temporalium, aut etiam vitæ; ita peccatum originale condonatum in reprobis punire potest, & punit privatione specialis benevolentiæ, vi cuius, quibus voluit, gratuito præparavit beneficia, quibus liberantur, & salutem æternam consequuntur.

Ex dictis hætenus facillè intelligitur ordo reprobationis eorum omnium, qui damnantur. Nam 1. Deus ex sincera voluntate salvandi omnes homines, condidit Adamum in statu innocentie, eumque constituit caput morale totius posteritatis, cui posset mereri vel demereri originalem iustitiam.

2. Absolutè prævidit peccatum Adami, & totum genus humanum per illud peccatum massam quandam corruptionis effectum.

3. Certos determinatè & in particulari homines ex massa illa separavit, misericorditer illos eligendo ad gloriam; omnes verò ceteros iusto iudicio in massa illa reliquit, non deponendo sinceram salutis eorum voluntatem, sed illam non volendo absolutè & efficaciter.

4. Iis, quos ad gloriam elegit, præparavit perseverantiam finalem, ceteris præparare noluit; vel, si vis, iis, quos ad gloriam elegit, præparavit media, quibuscum ad gloriam certissimè pervenirent; ceteris verò media, quibuscum pervenire possent, & pervenirent, si vellent, quibuscum tamen, ipso permittente, sua culpa certissimè perventuri non sunt.

5. Bonam mortem eorum, quos elegit, malam verò aliorum omnium, quos non elegit, absolutè prævidit.

6. Denique, his damnationem æternam ut supplicium debitum, illis verò æternam gloriam vel ut hæreditatem simul & mercedem bonis eorum meritis debitam, vel saltem ut hæreditatem absolutè & efficaciter decrevit. Dico, vel saltem ut hæreditatem, quia inter eos, quos Deus gratuito elegit ad gloriam, alii moriuntur antequam ad annos discretionis pervenerint, quibus æterna gloria ut hæreditas tantum, alii verò post adultam ætatem moriuntur, quibus æterna gloria non solum ut hæreditas, quatenus sunt filii Dei adoptivi, & consequenter regni ejus hæredes, sed etiam quatenus apud Deum per opera pietatis in statu gratiæ facta, meriti sunt, ut merces & corona deberetur.

Nota. Deum non habere sinceram salvandi omnes homines voluntatem, docuit Calvinus, 1. ad cap. 2. 1. ad Timoth. ubi exponens verba Apostoli, *vult omnes salvos fieri*, dicit Apostolum de singulis hominibus non agere. 2. Lib. 3. Institut. cap. 24. num. 16. docet Apostolum verbis modò laudatis nihil aliud significare, quam Deum nulli hominum ordini viam salutis præclusisse, & suam sic effudisse misericordiam, ut nullum ejus velit expertem esse ordinem. Unde consequenter loquens, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse negat, comment. in cap. 2. epist. 1. Joan. Nam hæc verba, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, exponens, ait, hac generali loquendi formula, *pro totius mundi*, non comprehendit reprobos, sed solos prædestinatos, qui per varias mundi plagas dispersi sunt; & in cap. 17. Joan. affirmat: *Christum proprii gregis solummodo fuisse sollicitum, & pro electis suis dumtaxat oravisse*. Calvinum sequutus est Janfenius, lib. 3. de gratia Christi Salvatoris, cap. 20. ubi docet horum Apostoli verborum, *Vult omnes salvos fieri*, interpretationem de voluntate generali Dei salvandi omnes homines quantum in ipso est, ortam esse à Massiliensibus, & inde derivatam in Scholas: & addit antecedentem omnes homines salvandi voluntatem, si quam Deus adhuc habet post Adæ lapsum, non esse, nisi nudam velleitatem, qualem Deus habet circa homines, vel Angelos jam damnatos. Unde cap. sequenti affirmat Christum non esse mortuum pro salute æterna omnium hominum, sed electorum tantum, atque pro cæterorum salute non magis sanguinem suum fudisse, aut etiam orasse, quam pro salute diaboli. A Calvino tamen discrepat in aliquo ad rem non pertinente, in eo scilicet quòd Calvinus neget ullis reprobis conferri propter merita Christi etiam ad tempus justificationis gratiam, aut ullum aliud donum supernaturale; ipse verò concedat multis reprobis ex meritis Christi concedi ad tempus fidem, spem & charitatem, & eatenus Christum pro multis reprobis mortuum esse, licet pro eorum salute æterna mortuus non sit, & ita acceptam fidem, spem, & charitatem necessariò amittant aliquando, cum omni auxilio ad perseverandum verè sufficienti ante mortem tandem aliquando destituantur. Sed audiamus illum cap. 21. lib. 3. de gratia Christi Salvatoris. Sicut ergo, inquit, non voluit (Augustinus) voluntatem Dei ad salutem omnium omnino hominum extendi, sed illorum dumtaxat, qui ex omni gente & lingua, ex omni hominum genere prædestinati sunt, ita nec voluit effectus ipsius voluntatis, hoc est, mortem, sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi, ad omnes homines dilatari; sed vel ad solos illos, qui prædestinati sunt, quatenus pro æterna & totali eorum salute offeruntur; vel certe aliquatenus quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei aut charitatis, effectus aliquos redemptionis & propitiationis assequuntur. Nam illa extensio tam vaga modernorum Scriptorum non ex alio capite quam ex ista generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficienti gratia omnibus conferenda præparatione fluxit: quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.

Nota iterum. Christum mortuum esse pro salute eorum omnium, quos Deus vult salvos fieri, sic ut conferat illis pro loco & tempore media ad salutem assequendam efficacia, aut saltem idonea & verè sufficientia; proindeque Deum velle illos omnes salvos fieri, pro quorum salute Christus mortuus est, apud Catholicos exploratum est, & fide certum: quod ipsi novatores agnoscunt. Unde negant

gant Christum mortuum esse pro salute illorum, quos Deum velle salvos fieri negant; & quia volunt Deum salutem velle prædestinatorum tantum, contendunt Christum mortuum esse pro salute prædestinatorum tantum. In quo sanè consequenter loquuntur: nam Christus mortuus est pro iis omnibus & solis, pro quibus Pater æternus prædestinavit merita & passionem Christi. Pater æternus prædestinavit merita & passionem Christi pro iis omnibus & solis, quibus intuitu meritorum & passionis Christi præparavit media salutis. Præparavit autem media salutis pro iis omnibus & solis, quos vult salvari. Ergo Christus mortuus est pro iis omnibus & solis, quos Pater æternus vult salvari. Unde & secundum Orthodoxos, & secundum Heterodoxos, hæc duo inter se convertuntur: Deus vult hos omnes salvari, Christus mortuus est pro salute horum omnium: nec unum potest esse de fide, quin & sit alterum; cum de fide sit & Patrem æternum voluisse, ut Filius moreretur pro salute eorum omnium, quos ipse vult salvari, & Filium omnem Patris voluntatem implevisse. His præsuppositis, sit

RESPONSIO I.

Deus habet sinceram voluntatem salvandi aliquos reprobos. Est de fide.

Prob. Ex condemnatione quintæ Propositionis Jansenii. Hæc est: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietatis derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Hæc igitur propositio, Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est, est hæretica; & consequenter contradictoria, Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus non est, est Catholica, & dogma fidei. Ergo, quod idem est, quod Christus mortuus sit pro salute aliquorum non prædestinatorum, est dogma fidei. Ergo, quod Deus habeat sinceram voluntatem salvandi aliquos non prædestinatos, est dogma fidei. Jam habemus hæreticam esse sententiam Calvinii & Jansenii de voluntate salvandi solos prædestinatos: & è contra fide certum esse, quod in Deo sit sincera voluntas aliquos saltem reprobos salvandi.

RESPONSIO II.

Deus habet sinceram voluntatem salvandi omnes reprobos, qui aliquando justificantur. Est de fide.

Prob. Nam de fide est, i. quod reprobi possint justificari, & quod re ipsa aliqui justificentur. Pater ex Trid. sess. 6. can. 17. *Si quis, inquit, justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit anathema sit.*

2. Omnes, qui justificantur, fieri filios Dei adoptivos, & ejus amicos, atque hæredes regni cælestis, patet ex Trid. sess. 6. cap. 4. ubi dicitur, quod justificatio impii sit translatio ... in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Et cap. 7. ubi dicitur, quod in justificatione homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vite æternæ.

3. Justos omnes in statu justitiæ usque in finem perseverare posse, omnibusque ad perseverandum, si velint, divinum adesse auxilium, patet ex Trid. sess. 6. cap. 11. ubi prohibetur, ne quis temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce utatur, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Et inferius subjungitur: Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Et cap. 13. *In Dei auxilio, inquit, firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent (justificati.) Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Et can. 22. ubi ait: *Si quis dixe-*

rit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo (quod certè nunquam ei deest, ex cap. 11. & 13.) non posse, anathema sit.

4. Justos omnes, quamdiu justi sunt, per bona opera in Deo facta mereri non solum augmentum gratiæ, sed etiam gloriæ, ipsis in cælo retribuendæ, si modò in statu gratiæ decedant, patet ex Trident. sess. 6. cap. 16. ubi dicitur: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsis Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et adhuc expressius infra: *Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Contrarium autem sentientes, can. 32. anathematizantur.

5. Conditionem illam, si tamen in gratia decesserint, sine qua justificati mercedem gloriæ consecuturi non sunt, verè esse in illorum potestate. Patet ex dictis num. 3.

6. Denique, justificationis gratiam, & alia omnia, quæ illam comitantur vel consequuntur, beneficia non concedi à Deo, nisi intuitu meritorum & passionis Christi. Quod probatione non eget.

Ex his porro sic argumentor, i. Deus vult sincerè salutem illorum omnium, quos adoptat in filios, & constituit regni sui hæredes. Quid enim amplius requiras ad sinceram salvandi voluntatem? Atqui de fide est, quod Deus adoptet in filios, & regni sui hæredes constituat illos omnes, quos justificat. Ergo de fide est, quod Deus sincerè velit salutem illorum omnium, quos justificat. Ergo de fide est, quod Deus sincerè velit salutem omnium reproborum justificationem. Nec dic Deum reprobos, quos justificat, non adoptare in filios, & regni sui hæredes constituere, nisi ad tempus. Nam hoc est manifestè contra fidem: fides enim docet Deum iis omnibus, quos justificat, dare auxilia gratiæ, quibus possunt, si velint, in statu justitiæ usque in finem perseverare; & consequenter Deum eos omnes, quos justificat, adoptare in filios, & regni sui hæredes constituere in perpetuum, quantum est ex parte sua sufficienter.

Præterea, quis non videt, quàm absurdum, Deo injuriosum, & Tridentini doctrinæ contrarium sit, dicere, Deum aliquos eorum, quos justificat, regni sui hæredes constituere ea lege, ut illud non consequantur? Unde refuso argumentum. Deus vult sincerè salutem illorum omnium, quos adoptat in filios, & regni sui hæredes constituit in perpetuum, quantum est ex parte sua sufficienter. Atqui de fide est, quod Deus reprobos omnes, quos justificat, adoptet in filios, & regni sui hæredes constituat in perpetuum, quantum est ex parte sua sufficienter. Ergo de fide est, quod Deus sincerè velit salutem omnium reproborum, quos justificat.

2. Christus mortuus est pro salute illorum omnium, quibus intuitu meritorum & passionis ejus, conceduntur adoptio divina, jus ad regnum cælestis re ipsa consequendum sub conditione ipsis possibile, & auxilia gratiæ ad faciendam operativæ æternæ meritoria, atque ad perseverandum in statu justitiæ idonea & sufficientia. Atqui de fide est, quod hæc omnia propter merita Christi & passionem ejus concedantur illis omnibus, qui justificantur. Ergo de fide est, quod Christus mortuus sit pro salute illorum omnium, qui justificantur; & consequenter de fide est, quod Deus sincerè velit salutem omnium omnino justificationem. Ex his habemus hæreticam esse sententiam Jansenii asserentis Christum non pro salute reproborum, qui justificantur, sed solum pro illorum temporaria justificatione mortuum esse; & ita Deum non illorum salutem velle, sed justificationem tantum ad tempus, & postea illis subtrahendam.

hendam per subtractionem auxilii verè sufficientis ad perseverandum in gratia ulque in finem.

RESPONSIO III.

Deus habet sinceram voluntatem salvandi omnes reprobos fideles. Est de fide.

Prob. De fide est, Deum sincerè velle salutem illorum omnium, pro quorum salute Christum mortuum esse de fide est. Atqui de fide est, quòd Christus mortuus est pro salute omnium omninò fidelium. Ergo de fide est, quòd Deus sincerè vult omnium omninò fidelium salutem. *Prob. min. 1.* Ex Symbolo Nicæno, in quo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis... Crucifixus etiam pro nobis.* Unde sic argumentor. De fide sunt omnes Articuli Symboli Nicæno contenti. Ergo de fide est, quòd Filius Dei de cælo descenderit, & crucifixus fuerit pro salute illorum omnium, pro quibus hæc vocabula *nostram* & *nobis* supponunt, ut per se clarum est. Atqui hæc vocabula supponunt saltem pro omnibus omninò fidelibus: nam Symbolum Nicænum pro omnibus omninò fidelibus conditum est, & omnes omninò fideles possunt, imò tenentur omnes illius Articulos credere. Ergo de fide est, quòd Christus de cælo descenderit, & crucifixus fuerit pro salute omnium omninò fidelium.

Quod confirm. Illud est de fide, quod potest & debet fide divina credi, hoc est, credi assensu super omnia firmo propter auctoritatem Dei revelantis. Atqui potest & debet fide divina credi, quòd Christus de caelis descenderit & crucifixus fuerit pro salute omnium omninò fidelium: possunt enim & debent omnes Articuli Symboli fide divina credi. Ergo de fide est, quòd Christus, &c.

2. Ex Symbolo Athanasiano, quod habet summam in Ecclesia auctoritatem, & in quo dicitur de Christo, *Qui passus est pro salute nostra.* Ubi hæc vox *nostra*, supponit pro iis omnibus, qui tenentur omnes Articulos hoc Symbolo contentos credere. Atqui omnes omninò fideles tenentur credere omnes Articulos hoc Symbolo contentos: cum omnium illorum Articulorum fides necessaria sit ad salutem, ut dicitur in fine Symboli: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Ergo in hoc Articulo, *Qui passus est pro salute nostra*, to *nostra*, supponit pro omnibus omninò fidelibus; & consequenter de fide est, quòd Christus passus sit pro salute omnium omninò fidelium: cum, ut jam dictum est, hic Articulus Symboli Athanasii, sicut & ceteri omnes, sit de fide. Ergo de fide est, quòd Christus mortuus est pro salute omnium reproborum fidelium; & consequenter de fide est, quòd Deus omnium reproborum fidelium salutem sincerè velit. Hæretica igitur est sententia Janseii negantis Christum mortuum esse pro salute reproborum, qui credunt, & pro illis mortuum esse tantum, ut illis fidem vel etiam charitatem ad tempus mereretur, affirmantis.

RESPONSIO IV.

Deus habet sinceram voluntatem salvandi omnes reprobos, nullo planè excepto.

Prob. 1. ex Script. Nam Apostolus sic loquitur, 1. ad Timoth. c. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Unus enim Deus omnium, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Atqui cum hic Apostolus dicat Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, intelligit omnes omninò homines, nullo excepto. Ergo, &c. *Prob. min. 1.* Enim cum dicit, *Omnes homines*, tam generaliter loquitur, quam cum ante dicit, *Pro omnibus hominibus*: asserit enim Deum velle omnes homines salvos fieri,

ut probet orandum esse pro omnibus hominibus. Atqui cum dicit orandum esse pro omnibus hominibus, ita generaliter loquitur, ut nullum excipiat; ut patet ex praxi Ecclesiæ Apostolum sic intelligentis, & idcirco pro omnibus omninò hominibus preces Deo offerentis. Ergo cum Apostolus dicit Deum velle, ut homines omnes salvi fiant, ita generaliter loquitur, ut nullum excipiat ab illa voluntate.

2. Cum Apostolus ait Deum velle salutem omnium hominum, tam generaliter loquitur, quam cum subdit unum esse Deum omnium: his enim verbis, *Unus Deus omnium*, rationem reddit, cur asserat Deum velle salutem omnium hominum. Atqui cum subdit unum esse Deum omnium, nullum excipit hominem. Ergo nec excipit ullum, cum ait Deum salutem omnium hominum velle.

3. Cum Apostolus asserit Deum velle omnes homines salvos fieri, non minus generaliter loquitur, quam cum postea affirmat Christum dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus. Atqui cum affirmat Christum dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus, intelligit pro omnibus omninò hominibus, nullo planè excepto.

Denique nulla necessitas, nulla ratio est, has voces, *omnes, omnium, omnibus*, restringendi in textu Apostoli. Ergo sumi debent & intelligi absque omni exceptione, juxta generalem regulam, quòd verba Scripturæ in sensu proprio, & secundum totam suam latitudinem accipi debeant, nisi alia Scriptura, aut evidens aliqua ratio, vel potius Traditio Scripturarum interpret obstat. Hic autem neque alia Scriptura, neque ratio evidens, neque Traditio prohibent, ne universaliter loqui dicatur Apostolus, cum ait orandum esse pro omnibus hominibus, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, & Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ergo, &c.

Prob. 2. ex Traditione, cujus testes sunt Patres, Concilia, & praxis universæ Ecclesiæ. 1. itaque S. Augustinus sic loquitur lib. de Spir. & litt. c. 33. *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur.* Unde sic argumentor. Deus sincerè vult, ex S. Augustino, salvos fieri illos omnes, quos judicaturus est. Atqui omnes omninò homines judicaturus est. Ergo ex S. Augustino Deus sincerè vult omnes omninò homines salvos fieri; & verba Apostoli, à nobis allegata, ad quæ manifestè alludit S. Doctor, debent accipi & intelligi absque ulla restrictione & exceptione.

Cum autem Jansenius responderet verba citata non Augustini mentem, sed Pelagianorum doctrinam & objectionem continere, hoc temerè & falsò asserit: temerè quidem, quia contra Doctorum Catholicorum sententiam; & falsò, quia evidenter contra textum S. Doctoris. Nam cap. citato hanc quæstionem solvendam proponit, unde nobis sit voluntas credendi: *Si credimus voluntate credimus. De hac queritur unde nobis sit.* Deinde difficultatem exponit his verbis: *Si natura, quare non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Tum tenet propositæ quæstionis solutionem in hunc modum: *Prius igitur illud dicamus, & videamus utrum huic satisfaciatur quæstioni, quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest. Et ideo nec istam voluntatem, quæ credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit: quando quidem vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quòd naturaliter, cum crearetur, acceperit.*

Propositam igitur quæstionem resolvit S. Doctor, asserendo voluntatem credendi nobis esse à Deo, quia hæc voluntas, vocante Deo, surgit de libero arbitrio, quòd in creatione accepimus, hoc est, quatenus & à Deo liberum arbitrium accepimus, per quod

quod volumus credere, nec per liberum, quod accepimus, arbitrium volumus credere, nisi Deus prius vocet nos, quomodo nobis aptum est, ut velimus credere; quare voluntas credendi non nobis est à sola natura, sed simul à natura, quam accepimus, & à gratia, naturam in creatione gratis concessam, gratis præparante & adjuvante, proindeque donum Dei dicenda est.

Post hæc, difficultati expositæ his verbis, *Si dono Dei, etiam hoc quare, &c.* quod faciendum supererat, respondet, voluntatem credendi non omnibus dari, licet Deus sincerè velit omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; quia Deus hoc ita vult, ut hominibus omnibus liberum relinquit arbitrium, quo bene vel malè uti possunt, vel consentiendo vocationi divinæ, vel illam repudiando; vel, ut loquitur S. Doctor, illud aut intendendo ad fidem sub vocatione Dei, aut inclinando ad infidelitatem. Quod cum faciunt, nolendo credere, homines, faciunt quidem contra voluntatem Dei sincerè volentis ut credant, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent; Dei tamen voluntatem non vincunt, utpotè iustissime ob malum liberi arbitrii ultimum iudicandi, & ut ait S. Doctor hic, *experturi in suppliciiis potestatem ejus, cuius in donis misericordiam contempserunt.*

Denique multis præterea ad confirmandam voluntatem credendi esse Dei donum allegatis, sic caput sequens orditur; *Hæc disputata, si quaestioni illi solvenda sufficit, sufficiat.* Quibus verbis aperte significat se dicto cap. 33. non Pelagianam, sed Catholicam doctrinam proposuisse. Non enim S. Doctor de doctrina hæretica diceret: Si sufficit solvenda quaestioni, sufficiat.

Ex dictis autem hætenus manifestum est S. Augustinum hoc cap. 33. non ex aliena & Pelagianorum sententia, sed ex propria loqui, & hoc, quod scilicet Deus velit omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tanquam certum & indubitatum apud Catholicos supponere; sicut & supponit ut certum & indubitatum apud eosdem, quod idem Deus omnium Creator sit: sed solam addere, quod, licet Deus velit omnes omnino homines salvos esse, voluntas tamen credendi non omnibus donetur, quia ita vult Deus omnes homines salvos esse, ut nemini adimat liberum arbitrium, quo bene vel malè uti possumus, & quo proinde possumus velle aut nolle credere. Unde fit, ut ex iis, qui vocantur ad fidem, alii velint credere, alii verò nolint; sicque alii accipiant voluntatem credendi, quia nonnulli vocante Deo volunt credere per liberum voluntatis arbitrium in creatione acceptum; alii verò voluntatem credendi non accipiant, quia, Deo illorum incredulitatem impedire nolente, & ob justissimas causas permittente ut libero abutantur arbitrio, nolunt, licet ad credendum sufficienter vocati, & liberè nolunt credere.

Porrò post suam illam de voluntate credendi disputationem, subiungit hæc verba: *Quæ disputatio, si sufficit, &c.* quia ad hujus difficultatis, quare, cum voluntas credendi sit donum Dei sincerè volentis salutem omnium, omnibus tamen non detur, solutionem, poterat aliquid expressius dici, nempe non omnibus dari, quia non datur, nisi iis quibus misericorditer præparata est, nec nisi certis hominibus præparata est à Deo, quamvis sincerè volente salutem omnium; quia non sic vult salutem omnium, ut omnibus præpararet beneficia, quibuscum credituri sunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseveraturi; sed multos relinquit in massa perditionis, illos relinquendo in infidelitate, non quod non sincerè velit illos ad fidem converti, sed quod iusto iudicio nolit illos eo modo, quo illis congruit ut re ipsa ad fidem convertantur, vocare, ut docet ipse S. Augustinus lib. de bono persever. cap. 14. cum ait: *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque li-*

berantur; credendo scilicet, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverando: Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquantur? Ubi Tyrii relictii sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt (hoc est, re ipsa credidissent) si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam ut crederent est negatum.

4. S. Prosper in doctrina S. Augustini versatissimus, ejusque fidelissimus interpres, hæc habet sentent. 8. super Capit. Gallorum: *Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei: qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem venire veritatis: & voluntatis suæ propositum in iis implet, quos præscitos prædestinavit &c.* Et in responsione ad 2. object. Vincent. Remota hac discretione, quam divina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Si quidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum: quod multi salvantur, salvantis est donum. Quibus verbis S. Prosper, 1. aperte agnoscit in Deo sinceram voluntatem salvandi omnes omnino homines. 2. Hanc voluntatem, propter testimonium Apostoli præcipientis, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, & praxim Ecclesiæ juxta præceptum Apostoli Deo pro omnibus hominibus supplicantis, omnino exploratam & indubitam, ab omnibus Catholicis sincerissima fide tenendam atque profitendam esse affirmat.

3. Quod verissimum est, asserit esse credendam atque profitendam sine præjudicio latentis Dei consilii, & gratuita omnium re ipsa salvandorum discretionis ab æterno factæ.

4. Ex his duabus veritatibus addit sequi duo: primum, quod multi pereunt, pereuntium esse meritum, quia Deus quantum est ex parte sua, sincerè vult illos salvari, & illis media ad salutem consequendam idonea contulit: alterum verò, quod multi salvantur, salvantis esse donum, quia Deus gratuito discrevit, & prædestinavit omnes, qui salvantur: ita ut nulli salvarentur, si nullos Deus misericorditer prædestinasset. En germana S. Augustini circa præsentem controversiam doctrina, ab ejus Discipulo breviter, sed accuratè & fideliter exposita. En doctrina Catholica, quam cum Doctore Gratia, & ejus Discipulo, gratiæ acerrimo defensore, amplectimur & defendimus.

Non est hic prætermittendum silentio, S. Prosperum locis citatis se & Augustinum contra Semipelagianorum calumnias defendere & purgare, ut patet ex ejus præfationibus in responsiones ad Capitula Gallorum, & objectiones Vincentianas. Galli Semipelagiani, ut Augustini de gratia & prædestinatione doctrinam infamarent, quindecim Capitula in vulgus sparserant, quibus totidem, ut mentiebantur, impugnant Augustini errores; ex quibus duo isti erant, *Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum: Quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus.* Ad 1. respondet S. Prosper, nomine S. Augustini, sent. 8. Deum velle quidem omnes omnino homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sed simul voluntatis suæ propositum in eis implere, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit; hoc est, agnoscendam quidem esse sinceram in Deo voluntatem salvandi omnes homines, sed simul confitendum esse gratuitum voluntatis divinæ propositum, quo certi homines electi & prædestinati fuerunt ab æterno ad gloriam, ad quam vi hujus propositi per media efficacia infallibiliter diriguntur, & perveniunt, cæteris omnibus suo malo merito pereuntibus.

Se.

Semipelagianorum offensionem, Augustinum strenue defendendo, incurrit Prosper: *Contrexerunt itaque* (utor verbis ipsius Prosperi) *& qualibus potuerunt sententiis comprehenderunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eaque ostendenda & ingerenda multis publice privatimque circumtulere: asserentes talia in eius esse sensu, qualia diabolico continebantur indiculo. Sententias illas, seu articulos illos falso in se, ad excitandam invidiam iactitari, facile & sufficienter subscriptione unius probasset anathematis, nisi malignitas adversariorum subscriptionis eius brevitatem suspectam fuisset habitura. Expedire igitur iudicavit, plene lucideque paudere, quid de perveris definitionibus, sibi calumniosè imputatis, iudicaret. Propositis igitur singillatim sexdecim Capitulis, sub iniquoque eorum sensus sui & fidei, quam contra Pelagianos ex Apostolica Sedis autoritate defendebat, verba posuit, ut lectores evidenter agnoscerent, impiarum, prophanarumque opinionum nullum cordi eius inhaesisse vestigium; & blasphemias, quas perspicere ejus professione damnari, in earumdem repertoriis conferent debere puniri. Sexdecim autem illa Capitula, quibus pervertæ definitiones, impiæ prophanæque opiniones, & ineptissimæ blasphemie, Prospero falsò imputatæ, comprehenduntur, sunt objectiones Vincentianæ, quarum prima est, quòd Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus: secunda verò, quòd Deus nolit omnes salvare, etiam si omnes salvari velint. Ad hanc, ut vidimus, respondet S. Prosper, sincerissimè credendum & profitendum esse, quòd Deus velit omnes homines salvos fieri, sed hoc credendum & profitendum sine præiudicio gratiæ eorum omnium, qui re ipsa salvantur, discretionis, & prædestinationis. Ex quibus colligi posse videtur, tunc temporis sinceram Dei voluntatem salvandi omnes homines, nullo excepto, ut indubitarum fidei nostræ articulum habitam esse tam ab Orthodoxis, quam ab Heterodoxis, qui, ut Orthodoxos gratiæ prædestinationis defensores calumniarentur, in vulgus spargebant illos sinceram in Deo salvandi omnes homines voluntatem non agnoscere, sed impiè oppugnare.*

Augustino & Prospero adjungimus laudatissimum Authorem librorum de vocatione Gentium, qui lib. 1. cap. 12. probat ex sensu & praxi Ecclesiæ, hæc Apostoli verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, &c. intelligenda esse de omnibus omnino hominibus. Et lib. 2. cap. 30. sic loquitur: *Tribus saluberrimis & veracissimis definitionibus sumus innixi: quarum una proficitur æternum & proprium divine esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, &c.* Addimus etiam Patres Concilii Carisiaci contra Gothescalcum Monachum Prædestinationarium, cap. 3. sic pronuntiantes: *Deus omnipotens omnes homines, si ne exceptione, vult salvos fieri, licet non omnes salventur.*

Quando autem Jansenius post Usserium Calvinistam, dicit Gothescalcum fuisse Catholicum, & in Conciliis Moguntino & Carisiaco iniquè damnatum, illorumque Conciliorum Patres Semipelagianos fuisse, falsò & calumniosè loquitur. Nam 1. Gothescalcus pro hæretico fuit semper habitus à Catholicis, nec unquam à Nicolao I. approbatus & defensus. 2. Patres Conciliorum Moguntini & Carisiaci, & à Catholicis tanquam fidei defensores semper laudati sunt, nec nisi à novatoribus Semipelagianæ pravitatis unquam accusati. Nec dic Canonem Concilii Carisiaci à nobis laudatum, damnatum fuisse à Valentinio III. Hæc enim Synodus non faver Prædestinationariis: cum Can. 5. dicat, vel saltem apertè supponat, Deum velle salutem omnium, etiam reproborum; nec Canonem Synodi Carisiacæ damnavit, nisi ex errore facti: falsis enim rumoribus decepta credebatur Patres Carisiacos in ea fuisse sententia, & definire voluisse, quòd Deus velle salutem etiam eorum, qui jam erant damnati, & Christus pro illis sanguinem fudisset.

Prob. 3. responsio nostra argumento theologico. Deus sincerè vult salutem eorum omnium, pro quorum salute Christus mortuus est. Atqui Christus mortuus est pro salute omnium hominum, nullo excepto. Ergo Deus sincerè vult salutem omnium hominum, nullo excepto. Prob. min. Ex Scripturis, in quibus hæc veritas tam clarè exprimitur, & toties inculcatur, ut nullus sit tergiversationi locus. Nam dicitur 1. Jo. cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (hoc est omnium fidelium,) *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* 1. ad Timoth. c. 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ad Hebr. cap. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Rom. cap. 5. *Sicut per unius delictum, in omnes homines (reatus peccati pertransiit) in condemnationem; sic & per unius justitiam, in omnes homines (redemptio pertransiit, quantum est ex parte Christi) in justificationem vite.* Et 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* In quæ verba ita differit S. Augustinus lib. 1. operis imperfecti contra Jul. cap. 64. *Unus pro omnibus mortuus: ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est, ac per hoc, quia & pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt.* Et lib. 2. cap. 163. *Clamat Apostolus: Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est; & vos reclamatis: Non sunt mortui parvuli: clamate, & quod sequitur: Ergo non pro ipsis mortuus est. Ecce, interprete S. Augustino, Apostolus concludit omnes omnino homines per peccatum mortuos esse, quia Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus est; & invictè concludit, quia cum Christus non venerit, nisi ut salvaret quod perierat, non venit ut moreretur, nisi pro hominibus per peccatum mortuis; & consequenter, si mortuus est pro omnibus hominibus, nullo excepto, omnes, nullo excepto, per peccatum mortui sunt. Quando igitur Apostolus ait: *Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*, interprete S. Augustino, generaliter loquitur, & absque ulla restrictione vel exceptione, & duo manifestè proponit fidelibus certa fide tenenda, videlicet Christum mortuum esse pro salute omnium omnino hominum, & omnes omnino homines mortuos esse per peccatum, & per illud factos æternæ damnationis reos; unum ex altero tanquam notiori deducendo: unde sicut infidelis est, qui negat, omnes homines, nullos excepto, mortuos esse per Adam peccatum; ita, imò à fortiori, qui negat pro omnibus omnino hominibus mortuum esse Christum.*

Prob. 2. min. ex traditione, cui magno consensu attestantur Patres & Concilia. Et 1. quidem Patres Græci, ut Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. ubi de Christo ait: *Non despecta carnis humane imbecillitate, sed ea indutus, ad commune venit hominum salutem.* Gregorius Nazianzen. orat. 42. vocat Christum victimam, quæ est, non exigua cujusdam partis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi nunquam intermoriitura expiatio. S. Basiliius homil. in Psalm. 48. *Inventum, ait, unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit.* S. Epiphanius hæc. 69. *Christus Sacerdos, inquit, ipse hostia semetipsum obtulit pro omni creatura Pontificatus officio fungens.* Et S. Cyrill. Alexandr. in epist. ad Monachos, ubi ait: *Unus ex omnibus resurgens, qui pro omnibus mortuus erat, ut proprio sanguine redimeret quicquid sub celo est, & acquireret Deo ac Patri omnes, qui in universa terra consistunt.*

2. Patres Latini, ut S. Hieronymus in c. 5. epist. 2. ad Cor. de Christo dicit: *Solus inventus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.* S. Leo serm. 1. de Nat. Domini: *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* S. Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. *Sol, inquit, justitiæ omnibus ortus est, omnibus*

ve-

venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat. S. Augustinus in Comment. in Psalm. 95. Judicabit, inquit, orbem terrarum in equitate: non partem, quia non partem emit: totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit.

Præterea, ut jam vidimus, contra Pelagianos lib. 1. & 2. operis imperfecti, probat omnes homines, nullo prius excepto, in Adamo peccasse; probat, inquam, ex his Apostoli verbis: Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quod etiam facit lib. 20. de Civ. cap. 6. & lib. 6. contra Julianum cap. 4. ubi sic loquitur: Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit (Apostolus) ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccata esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. Ex quibus manifestum est Augustinum intellexisse Apostolum de morte Christi pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, & ab eo per mortem à Christo pro omnibus omnino hominibus obitam totius humani generis in Adamo lapsum probari tanta evidentia, ut hoc nemo negare, nemo in dubium revocare possit, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. Certè si nemo Christianus esse potest, negando vel dubitando totum genus humanum in Adamo lapsum esse, postquam Apostolus dixit, Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: quanto minus potest esse Christianus, qui negat, vel dubitat Christum mortem suam pro omnibus omnino hominibus obtulisse?

S. Prosper sic loquitur sententia super 9. Capit. Gallorum: Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad Sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem; cum sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt; aut post redemptionem, ad eandem sunt servitutem reversi. Quibus verbis docet, quod Salvator non sit crucifixus pro totius mundi redemptione, eo tantum sensu dici posse, quod crucifixio Salvatoris non prosit toti mundo, nec totus mundus re ipsa per illam crucifixionem redimatur, justificationis gratiam consequendo, & in ea utique in finem perseverando; non quod sanguis Christi non sufficiat ad redemptionem totius mundi, aut non sit pretium totius mundi, seu pretium pro toto mundo à Christo oblatum; sed quia per illud pretium non possumus redimi, nisi nobis applicetur, nec nobis applicatur sine libera nostra cooperatione; & multi sunt, qui peccati servitute delectati, nolunt ab ea liberari, & multi, qui postquam ab ea liberati fuerunt, ad eam justitiam pertransi redeunt, & in ea pereunt. In hunc sensum loquitur S. Doctor, cum ait in resp. ad idem cap. Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humane nature susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.... dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit. Itaque juxta S. Prosperum, Salvator rectissime dicitur pro totius mundi redemptione crucifixus, quia in vera humanitate, quam sibi hypostaticè univit, communem omnibus suscepit naturam, à communi in primo homine omnibus perditione, quantum in se erat, liberandam; quod est, Salvatorem pro omnibus mortem, omnibus, quantum in se erat, profuturam subisse; ita ut re ipsa omnibus, nisi ipsi sibi deessent, profutura esset; aliquo tamen sensu Salvator dici potest non esse crucifixus, nisi pro iis, quibus mors ejus prodest, vel, ut loquitur Tridentinum, qui mortis ejus beneficium recipiunt, quatenus in tantum re ipsa, & ut loquuntur Scholastici, in actu secundo redimuntur per mortem Salvatoris; ceteri verò, quia

ipsi nolunt, non magis actu redimuntur, quam si Salvator non esset pro illis crucifixus: ut enim ait S. Doctor eodem loco, non sufficit hominum redemptioni (in actu secundo) crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, & conspiciantur in baptismo. Alioquin nato Salvatore in carne substantie nostre, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium, ut renasceremur, & similitudini mortis ejus complantaremur: sed cum sine hoc sacramento, nemo hominum consequatur vitam eternam, non est salvatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo. Unde respectu illius, qui non est crucifixus in Christo, periade se habet Christus ad actualiorem ejus redemptionem, ac si non esset pro illo crucifixus, quia re ipsa per Christi crucem non salvatur, non quia Christus non voluit sincerè illum cruce sua salvari & redimi, sed quia ipse non vult sibi meritum crucis applicare, auxilia gratiæ sibi oblata, & ad hanc applicationem necessaria repudiando.

In eandem sententiam resp. ad 1. object. Vincent. hæc scribit S. Doctor: Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietates haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi, cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent. Quia Christus, inquit S. Doctor, sicut unam omnium naturam, ita & unam omnium causam in se suscepit; sanguis Christi redemptio est totius mundi, rectèque omnes per sanguinem Christi dicuntur redempti, non quod omnes hoc ipso præcisè quod sanguis pro omnibus fusus est, sint à captivitate eruti, & actu redempti; cum multi nunquam à captivitate eruantur, & illi soli eruantur, de quibus princeps mundi foras mittitur, & de vasis diaboli sunt membra Christi; sed quod Christus sanguinem suum pro omnibus verè fuderit, & Patri ut pretium omnibus actu redimendis sufficientissimum obtulerit ex sincero actualis omnium redemptionis desiderio; quandoquidem sicut unam omnium naturam, ita unam omnium causam verè suscepit.

Breviter. Juxta Prosperum, sanguis Christi est totius mundi redemptio, non in actu secundo, sed in actu primo tantum. Non est totius mundi redemptio in actu secundo, quia non est actualis totius mundi à captivitate demonis & peccati liberatio: hæc enim liberatio in justificatione consistit, & sanguis Christi non justificat per se formaliter & immediate. Est totius mundi redemptio in actu primo, quatenus est pretium à Christo oblatum pro toto mundo, ad totius mundi liberationem sufficiens, & quo proinde totus mundus liberaretur, si omnes illud sibi applicarent, quantum opus est ad obtinendam justificationis gratiam, rectè utendo mediis sibi in hunc finem à Deo intuitu pretii illius gratuito donatis. Hæc paulò fustius disputata sunt ad defensionem S. Doctoris contra Novatores, qui eum ad suas partes iniquè detorquebant: cum hac de re non aliud senserit, quam quod Tridentinum sess. 6. c. 3. verbis infra laudandis.

Author librorum de vocat. Gent. lib. 2. c. 16. hæc scribit: Nulla ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero liber inventus est. Non est pro omnibus mortuus Christus: sed prius pro omnibus mortuus est Christus. Et S. Anselmus in cap. 2. epist. 1. ad Tim. Mediator Deus, inquit, quem Deus inter se & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes à morte redimeret. Et idco qui

non

non saluantur, non est quod de Deo vel mediatore possint conqueri, sed de se ipsis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec salutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.

3. Denique Concilia, ut Synodus Nicæna in Symbolo, ubi dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis crucifixus etiam pro nobis* (supple hominibus.) Nota. Non dicit præcisè, propter nos, aut propter nos fideles, vel propter nos baptizatos, sed propter nos homines. Quo modo loquendi apertè significat, Filium Dei descendisse de cælis per unius omnium naturæ susceptionem in humanitate, quam sibi substantialiter univit, ut unam omnium causam susciperet, & ageret, pro omnibus mortem subeundo, & sanguinem suum fundendo. Synodus Carthacæ. 4. contra Gothelalcum sic pronunciat: *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, aut erit, cuius natura assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur.* Et Tridentina sess. 6. ait cap. 2. *Hunc (Christum) proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Et cap. 3. *Verum est ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Certè si qui sunt, pro quorum salute Christus non est mortuus, sunt ii, quibus meritum passionis ejus non communicatur. Atqui ex Trid. etiam pro istis mortuus est. Ergo cum Triden. ait mortuum esse pro omnibus, manifestè intelligit omnes omnino, nullo excepto.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones contra sinceram Dei voluntatem salvandi omnes reprobos.

Obj. Non potest dici, quid sit hæc voluntas sincera Dei salvandi omnes reprobos. R. neg. & dico, 1. non esse voluntatem metaphoricam, & voluntatem signi tantum, sed propriam & formalem divinæ voluntatis affectum. 2. Hunc affectum non esse tantum de mediis ad salutem idoneis, sed etiam de ipsa salute, ut, quantum est ex parte Dei, per illa consequenda; affectus enim mediolorum ut sic, non est, nec potest esse sine affectu finis; cum media ut sic intendi repugnet, nisi propter præintendum finem. 3. Esse Deo liberum, non necessarium, & consequenter non esse actum simplicis complacentiæ, qualem Deus habet circa salutem damnatorum ut possibilem; sed actum profectivum, quo Deus serio intendit finem aliquem, & vi hujus intentionis eligit media idonea ad finem illum obtinendum, secundum modum quo intendit assequi. Unde cum Deus per actum illum non intendat absolute & efficaciter salutem æternam reprobatorum, sed solum, quantum est ex parte sua, sufficienter, vi illius non eligit media efficacia, sed solum sufficientia, quibuscum reprobi possent salvari, sua tamen culpa non salvantur. Quod nullam dicit in Deo imperfectiorem: nam quod Deus non velit efficaciter salutem reprobatorum, & ad eam procurandam non adhibeat media efficacia, hoc non provenit ex aliqua impotentia ex parte ipsius, sed ex eo quod ei liberum est velle vel non velle efficaciter salutem talium hominum, & volendi, non efficaciter, sed sufficienter tantum, sapientissimas & justissimas causas habet. 4. Non esse æqualem respectu omnium reprobatorum, sed inæqualem: nam Deus non desiderat omnibus reprobis æqualem gloriam, sed aliis majorem, aliis minorem; nec omnibus æqualia præparavit media, sed aliis majora, aliis verò minora. Item non æquanter omnibus desiderat, sed aliis magis, aliis minus; unde non omnibus præparavit media æqualiter idonea, sed aliis magis, aliis verò minus idonea præparavit; sic tamen ut omnibus verè idonea

& sufficientia præparavit. Utrum hæc voluntas, quam habet Deus salvandi reprobos, sit voluntas beneplaciti, an non, quæstio est de voce: nam non est, si per voluntatem beneplaciti intelligatur tantum voluntas absoluta & efficax: at est, si voluntas beneplaciti sumitur paulò latius pro voluntate, qua Deus sincerè desiderat aliquid fieri.

Obj. 2. S. Fulgentium lib. de incarn. & grat. cap. 29. ubi sic loquitur: *Illud verò apostolicum, ubi dicitur de Deo: Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non sicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, sicut in vasis misericordia, sic & in vasis ira accipiendam existimant, minus considerantes veracissimam Scripturæ sententiam, quæ divine commendans omnipotentiam voluntatis: Omnia, inquit, quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra, &c.* R. S. Fulgentium his verbis Pelagianos & Semipelagianos reprehendere, non quia verba Apostoli intelligebant de sincera voluntate salvandi omnes omnino homines, sed quia interpretabantur illa de voluntate æquali circa salvandos & damnandos, & consequenter de voluntate absoluta & efficaci; cum talis re ipsa sit circa salvandos. Ex qua interpretatione sequebatur manifesta absurditas & falsitas, nempe quod voluntas Dei, etiam absoluta & efficax, possit effectu suo frustrari, & re ipsa frustretur in iis omnibus, qui damnantur. Bonitas hujus responsionis patet ex ipso Fulgentio: sic enim caput citatum concludit: *Proinde hi, qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult salvos fieri, æqualem circa redimendos & damnandos existimant, cum interrogati fuerint cur velit Deus omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiant, quid respondebunt?* In hoc igitur graviter errabant, & merito reprehenduntur à Patribus Pelagiani & Semipelagiani, quod assererent Deum velle, quantum est ex se, salutem omnium hominum; per illud, Velle quantum est ex se, intelligentes voluntatem absolute efficacem ex parte volentis; ex hominibus verò eos salvari, qui ex solis naturæ viribus vellent, aut saltem velle inciperent; eos verò damnari, qui nollent salvari, aut saltem salutem suam inchoare nollent, vel negligerent; proindeque voluntatem Dei, etiam absolute efficacem, in potestate hominis esse, ut haberet, vel non haberet effectum suum, contra manifestum illud Scripturæ testimonium, *Omnia quæcumque voluit (absolute & efficaciter) fecit in cælo & in terra.* Pl. 113.

Porro ex his facillè redditur ratio, quare S. Augustinus textum Apostoli laudatum interpretetur cum aliqua restrictione & limitatione, lib. de præd. Sanct. c. 8. ubi ait, Deum dici velle salvos fieri omnes homines, quatenus vult eos omnes salvari, qui re ipsa salvantur; sicut magister alicujus civitatis dicitur docere omnes pueros, quia docet omnes, qui re ipsa docentur. In Enchir. cap. 105. ubi ait to omnes in textu Apostoli sumi pro generibus singulorum, non pro singulis generum: ita ut Deus dicatur velle salutem omnium hominum, quatenus nulla est hominum ætas, conditio, natio, sexus differentia, in qua Deus non velit aliquos salvari: sicut dicitur omne animal fuisse in arca Noe, in quantum fuerunt in arca Noe aliqua ex omni animantium specie. Et lib. de corr. & grat. cap. 15. ubi Apostolum intelligit de voluntate salvandi omnes homines, non formali, sed causali, in quantum Deus facit ut sancti velint salutem omnium hominum, eamque, quantum in se est, procurent. Nam dico S. Augustinum laudatis libris sic Apostolum interpretari, ex suppositione, quod intelligatur, ut volebant intelligi Novatores, de voluntate salvandi omnes homines absolute efficaci ex parte volentis; non quod ipse velit Apostolum non posse intelligi de voluntate sincera salvandi omnes, nullo excepto: cum ipsemet sic intellexerit, & intelligendum esse, velut rem certam & indubitatam supponeret, ut supra vidimus.

Obj. 3. Deus non vult salutem illorum, quibus nulla præparavit, nulla dat media ad salutem consequendam idonea. Atqui multi saltem sunt reprobi, qui-

quibus nulla præparavit, nulla dat media ad salutem consequendam idonea. Ergo, &c. Resp. neg. min. cui contradicunt magno inter se consensu Patres. Dico itaque nullum esse reprobum, cui auxilium ad salutem consequendam idoneum, non datur pro loco & tempore, mediare vel immediate. Dico autem, pro loco & tempore: non enim volumus auxilium illud omni tempore vel etiam momento adesse, sed solum quod reproborum nullus sit, qui non habeat illud saltem aliquando. Dico etiam, mediare vel immediate: nam reprobis, qui usum rationis habent, datur immediate: accipiunt enim saltem aliquando illustrationes & inspirationes, quibus si acquiescant, perveniunt ad notitiam Evangelii, si de illo nihil unquam audierunt, & ita infidelitate negativa laborant, & audito Evangelio, ulteriora auxilia accipiunt, quibuscumque possint credere: vel disponantur ad justificationem, si jam credunt, & adhuc sunt in statu peccati: iustificati autem ulterius sic adjuvantur, ut perseverare possint, & ita salutem æternam consequi. Reprobis verò, qui ante usum rationis moriuntur, datur mediare auxilium ad salutem sufficiens: illorum enim parentes pro loco & tempore accipiunt auxilium idoneum, non solum ut suæ, sed etiam ut filiorum salutis provideant. Audiamus Authorem librorum de vocatione Gentium lib. 2. cap. 23. *Non irreligiosè, inquit, arbitror credi... quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratia partem, que semper universis est impensationibus, quæ utique si bene userentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvantur, &c.* Quod intelligi debet non tantum de fidelium parvulis, qui, adhibita morali diligentia, baptizari possent ante mortem, sed etiam de parvulis infidelium, imò & de parvulis fidelium, qui moriuntur in utero materno, vel quibus natis humanitatis succurri non potest: rectè enim dici & defendi potest, omnes omnino parvulos, qui sine baptismo moriuntur, ita mori culpæ parentum, qui defuerunt alicui gratiæ auxilio, sibi à Deo ex sincera salutis parvulorum voluntate collato. Quod fortasse ipsimet parentes faciliè agnoscerent, si diligenti examine dicta, facta, & cogitata sua perpenderent; sed de his in tract. de Gratia.

Obj. 4. Deus non vult salutem illorum, quos non vult perseverare: nam Deus non vult salutem illorum, quibus non vult medium ad salutem absolute necessarium, qualis est perseverantia. Atqui Deus nullum reprobum vult perseverare: nulli enim reprobo dat perseverantiam. Ergo, &c. R. dist. maj. Deus non vult salutem illorum, quos perseverare non vult absolute & efficaciter, N. maj. Quos perseverare non vult neque absolute & efficaciter, neque sufficienter quantum est ex parte sua, ita ut nequidem adhibere velit media ex parte ipsius necessaria ad hoc ut illi, si velint, perseverent, C. maj. Ad min. autem dico, Deum non velle quidem absolute & efficaciter ut reprobi perseverent. Unde non præparavit illis in æternitate, nec dat illis in tempore media, quibuscumque perseveraturi sint, vel, quod idem est, nec præparavit nec dat illis perseverantiam: at serio tamen velle ut iustificentur omnes, atque iustificati in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem permaneant. Unde iustificatis dat media verè sufficientia ad permanendum in statu iustitiæ: dat enim illis media verè sufficientia ad vitandam totam mortalium collectionem, hoc sensu, quod dat illis auxilium verè sufficiens, ut vitent primum peccatum, quod post acceptam justificationis gratiam occurrit vitandum, vitantibus & orantibus daturus aliud majus auxilium ad vitandum secundum peccatum, & ita deinceps, donec ipsi auxilium divinum liberò repudiant, tentationi succumbunt, & legem divinam transgrediuntur; nam, ut dicit S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 26, loquens de impio iustificato, Deus non deserit, si non deseratur, ut piè semper subsequatur vivatur. Et Trident. sess. 6. cap. 11, Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Et cap. 13, Deus, nisi ipsi (ju-

stificati) illius gratiæ defuerint, sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere. Sed de hoc iterum in tractatu de Gratia.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones contra mortem Christi pro omnibus hominibus.

Obj. Scriptura redemptionis beneficium restringit modò ad electos, ut cum Apoc. cap. 5. dicitur: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omnibus & lingua*, Modò ad oves Christi, ut Joan. cap. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis*. Modò ad eos qui credunt, ut Joan. cap. 3. *Exaltari oportet filium hominis (in cruce,) ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*. Modò ad eos, qui sunt in Ecclesia, ut Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. R. breviter*, Scripturam locis citatis redemptionis beneficium non restringere: quando enim dicit Christum mortuum esse pro electis, vel pro ovibus suis, vel pro credentibus, vel denique pro iis, qui sunt in Ecclesia, hoc dicit præcisè, non exclusivè, id est, præcisè dicit Christum mortuum esse pro talibus, at non negat mortuum etiam esse pro cæteris, sed solum tunc de illis reticet, quod alibi non semel clarè inculcat.

Obj. 2. Matth. cap. 15. Christus dicit: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Et cap. 20. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*. Et Joannis cap. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*. Et Hebræorum cap. 9. Apostolus de Christo dicit, *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternæ redemptionis inventa*. Et Dan. cap. 9. Idem Christus prædicatur effecturus, ut deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, R. ad 1. Christum ibi tantum dicere, se à Patre non esse missum ad annunciandum regnum Dei per se ipsum verbis & miraculis suis, nisi ad Judæos. R. ad 2. hoc loco & aliis similibus, hanc vocem, *multi*, sumi pro ista, *omnes*; & rectè quidem, quia ubi omnes sunt multi, multi aptè ponuntur pro omnibus. Præterea, ut pluribus locis notavit S. Augustinus, familiare est Scripturis sacris, to *multi* usurpare pro to *omnes*. Sic sumitur v. gr. Rom. cap. 5. ubi dicitur: *Si unus delicto multi mortui sunt*, &c. R. ad 3. 1. Christum ibi non orare pro omnibus prædestinatis, sed solum pro Apostolis suis, excepto Juda, & pro iis, qui per Apostolorum prædicationem convertendi erant ad fidem: *Non pro mundo rogo*, inquit Christus, *sed pro his, quos dedisti mihi*.... *Nemo ex eis perit, nisi filius perditionis*..... *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Ibi igitur Christus non orat pro sanctis veteris testamenti, neque pro parvulis in statu gratiæ mortuis, vel morituris, & consequenter non orat pro omnibus prædestinatis. Imò ibi orat pro aliquibus reprobis: non enim probabile est eos omnes, qui Apostolorum prædicatione ad fidem conversi sunt, fuisse de numero prædestinatorum. R. 2. Dato quòd ibi Christus oret pro omnibus prædestinatis, & pro illis solis oret, sequi tantum quòd hac vice non oraverit pro reprobis. At pro illis aliis orare potuit, & orasse dicendus est. Nota. Supposito quòd Christus voluerit omnes homines redimere, debuit una & eadem vice pro omnibus mori, quia semel tantum moriturus erat: at non debuit una & eadem vice orare pro omnibus, quia cum non una tantum vice, sed multoties oraverit, ut constat ex Scriptura, potuit modò pro his, modò pro illis, modò pro omnibus orare. R. ad 4. Redemptionem à Christo factam, dici æternam, non quia Christus redemit solos prædestinatos, in quibus solis fructus mortis Christi manebit in æternum; sed quia, ut patet ex textu, ad redemptionem omnium

nium hominum sufficit, quod Christus semel se ipsum obtulerit moriendo in cruce, nec necesse est, ut hæc oblatio iteretur, & Christus pluries in cruce moriatur: cum è contra in veteri lege sacrificia, quibus crucis sacrificium comparatur, iterari deberent, & novæ in dies immolari victimæ. *R. ad 5.* Christum hoc revera effecisse & efficere in prædestinatis & sanctis, pro quibus mortuus est efficaciter. Sed inde non sequitur, quod pro solis prædestinatis mortuus sit, sed tantum quod non sit efficaciter mortuus pro aliis, pro quibus tamen mortuus est sufficienter, pro illis sanguinem suum fundendo ex sincero, quamvis inefficaci, perseverantis eorum justificationis & æternæ salutis desiderio.

Obj. 3. Patres. Nam 1. Hieronymus in Psalm. 43. dicit non esse effusum sanguinem Agni pro Judæis. 2. Augustinus dicit epist. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est.* Et lib. 1. de adulterinis conjugii c. 15. *Omnis qui sanguine Christi redemptus est, homo est; non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est.* 3. Anselmus in Elucidario ait: *Christus pro solis electis mortuus est. ... Nihil contulit reprobis ob sua demerita mors Christi.* *R. 1.* Hos Patres aperte docere mortem Christi pro omnibus hominibus, ut constat ex allegatis eorum textibus. *R. 2.* Hieronymum loco citato velle tantum, quod sanguis Agni non fuerit pro Judæis effusus ex affectu efficaci salutis eorum, & qui effectum suum habuerit. *Resp. 3.* Augustinum loco primo loqui de iis, pro quibus Christus mortuus est ex absoluta & efficaci voluntate salvandi illos: id secundo vero loqui de redemptione in actu secundo, sive de actuali à captivitate dæmonis & peccati liberatione facta per applicationem pretii à Christo oblato, pendente à libero hominum arbitrio. *R. 4.* Anselmum verbis citatis, si tamen sunt Anselmi, nihil aliud velle, quam Christum mortuum esse efficaciter pro solis electis, & mortem Christi nihil prodesse reprobis ob eorum demerita ad salutem æternam in re consequendam; cum perinde, licet sua culpa, damnentur, ac si Christus pro illis sanguinem suum non fudisset.

Obj. 4. Nono sæculo contra doctrinam Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse acerrimè propugnantis, insurrexere plurimi in Gallia. Et 1. quidem Prudentius Trecentis Episcopus in Tractatoria, quam misit ad Concilium Senonense, & in qua quatuor articulos proposuit, ab Aenea in Episcopum Parisiensem ordinando subscribendos, ut ipse in ejus ordinationem consentiret. Tertius autem articulus est hic: *Christi sanguinem pro solis credentibus fufum.* 2. Lupus Abbas Ferrariensis in lib. de tribus questionibus qu. 3. ubi docet Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, nisi eo sensu, quo ipse dicit Deum velle salutem omnium hominum, nempe quia vult omnes salvos fieri, qui salvantur, vel quia ex omni hominum genere colligit ad salutem, vel quia nos facit velle omnes homines salvos fieri. Addit tamen probabiliter dici posse, quod Christus mortuus sit pro omnibus, qui ejus fidei Sacramenta suscipiunt, sive ea servaturi sint, sive non. 3. Remigius Lugdunensis Episcopus, in libro de tribus Epistolis, ubi tres questiones proponit & resolvit, & in tertia, quæ est de morte Christi, docet Christum nullatenus mortuum esse pro impiis ante ipsius mortem damnatis, aut pro infidelibus & impiis, qui post passionem ejus usque ad mundi terminum aut exiterunt, aut existunt, aut futuri sunt. Et lib. de tenenda veritate Scripturæ, ubi quartum Capitulum Carisiacum velut absurdum & erroneum reprehendit. 4. Concilium Valentini tertium Canon. 4. quo damnatur Canon 4. Carisiacus, & definitur Christum pro solis credentibus mortuum esse. Hanc autem Concilii Valentini sententiam confirmarunt Synodus Lingonensis, post annos ab illa quatuor celebrata, & Tullensis apud Saponarias habita.

Simonnet Theol. Tom. I.

ta post quindecim à Lingonensi dies. Capitula autem CC. Valentini & Lingonensis ad Nicolaum I. Pontificem maximum missa, ab eo confirmata fuere.

R. ad obj. Ita esse: sed quanti facienda sit hæc contradictio, patebit ex responsione ad singula. 1. Itaque Prudentii auctoritas non est hac in re alicujus ponderis, tum quia doctrina ejus apud Catholicos jam olim suspecta fuit, ut patet ex Annalibus Bertinianis, ubi dicitur Gotescalci hæresim, cui antea resisterat, postea defendisse, & non modica fidei adversa scriptitasse, & ex vetustissimo Monasterii Altivillarensis Codice Mss. operis ipsius Prudentii contra Joannem Scotum Erigenam, ubi in averfa pagina legitur hæc censura: *Hic liber caute legendus est. nam compositor ejus Prudentius de quibusdam ecclesiasticis dogmatibus non sentit catholice, sicut alia ejus scripta demonstrant:* tum quia merito levitatis insimulari potest: cum, teste Hincmaro in lib. de prædest. cap. 21. quem in hac re mentitum esse, verisimile non est, subscripserit Capitulis Carisiacis, quæ postea in Tractatoria sua ad Senonense Concilium impugnare visus est. Nec obstat, quod in aliqua particulari Ecclesia colitur ut Sanctus: sic enim etiam colitur Faustus Rejenis, & tamen à Catholicis communiter habetur ut Semipelagianorum Antesignanus. Addo, ab eruditis nonnullis intelligi de morte Christi efficaciter oblata. Quod probant ex ejus Epistola ad Hincmarum & Pardulum; ubi videtur loqui de redemptione efficaci, cum mortem Christi extendit ad solos prædestinatos; sicut & cum ad eosdem restringit voluntatem salvandi homines, videtur loqui de absoluta & efficaci voluntate. 2. Abbatis Ferrariensis auctoritas impune contemni potest, cum Gotescalco plurimum favisse videatur: nisi tamen illum cum aliquibus Doctoribus intelligamus de morte Christi sic oblata, ut iis, pro quibus oblata est, beneficia & fructus ejus conferantur per gratiam justificationis & finalem perseverantiam, nec aliud, negando mortem Christi pro omnibus nullo excepto, velle, quam Christum non esse æqualiter mortuum pro omnibus, sed efficaciter pro certis tantum, pro reliquis vero omnibus ineffaciter. Quod insinuant hæc illius verba in citato libello: *Verum ne me irridendum & respuendum pronuntient, quibus placent omnes, sive bonos, sive malos, indifferenter à Christo redemptos, ponam unum, quod cum eis faciat, testimonium.* Potuisset alia quamplurima ponere tam Scripturæ, quam Patrum manifesta testimonia, nisi illa aut ignorasset, aut dissimulare voluisset.

3. De Remigio Lugdunensi dico, 1. Illum non favere Prædestinarianis. Nam in libro de tribus Epistolis c. 15. distinguit quatuor ordines hominum: *Primus est electorum & prædestinatorum ad vitam æternam, de quibus perire nullus potest. Secundus ordo est eorum fidelium, qui recta fide & pietate accedunt ad gratiam baptismi, & per eam accipiunt indulgentiam peccatorum. sed postea diversis temptationibus & iniquitatibus gratiam ipsius fidei & redemptionis amittunt, perseverantes in malis suis, & sic de seculo exeuntes.* Tertius est eorum, qui adhuc in infidelitate positi, vocandi tamen sunt per misericordiam Dei, & hoc sine dubio in Ecclesia consecuturi, quod consecuti sunt & illi duo ordines sive perseverantium sive non perseverantium in gratia Christi. Quartus vero ordo, de quo dicitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur:* manifestè extra fidelium numerum jacet, & æternæ condemnationi est destinatus. Tum cap. 16. expressè confitetur Christum mortuum esse pro tribus primis ordinibus: *Pro illis itaque, inquit, tribus ordinibus, ad Christi gratiam & societatem fidelium pertinentibus, Dominum Jesum Christum & venisse ut eos salvaret, & crucifixum esse ut eos redimeret. fideliter credendum tenemus, & hoc non solum ex divinis Scripturis, sed etiam ex SS. Patrum fide & doctrina evidenter agnoscimus.* Quibus verbis ut hæreticam damnat sententiam Gotescalci de morte

K

morte

morte Christi pro salute dumtaxat prædestinatorum, quam sententiam postea amplexi sunt Lutherus, Calvinus, & Jansenius. Porro quod Remigius in libro de tribus Epistolis de morte Christi, idem docet in libro de tenenda veritate ad quartum Capitulum Carisiacum, cap. 14. Quapropter, inquit, de omnibus credentibus in Christum, & in Christo regeneratis, recte & veraciter creditur, quod pro eis Christus sit passus. Hoc namque tota series Scriptura sancta veteris ac novi testamenti . . . manifeste atque indubitante attestatur.

Dico 2. Remigium libro de tribus Epistolis sic quartum ordinem hominum supra relatum excludere à redemptione Christi, ut non damnet oppositam sententiam: de ea enim sic loquitur in lib. de 3. Epist. c. 20. Si autem placet, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum (qui Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse tenent) sententia ex pietate veniens, propter pacem, & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum non renuatur: nulla ergo contentione pro aliis adversus alios litigetur: non una sententia pro altera damnetur. Non igitur improbat sententiam de morte Christi pro omnibus hominibus, nullo excepto, modo propter illam sententiam Gotschalci de prædestinatione & reprobatione, quam ex errore facti putabat non aliam esse, quam Augustini sententiam, non damnetur: quia ut ait eod. lib. c. 28. Etsi pro omnibus etiam in sua impietate perituris (& consequenter etiam pro iis, qui in infidelitate moriuntur) Christus mortuus est, sic eis exhibuit bonitatem passionis sue, ut tamen huiusmodi impios in sua impietate permansuros iusto suo iudicio condemnaverit: sicut ipse ait: Qui non credit, jam iudicatus est: & ideo bonitas ejus, quæ etiam pro talibus passus creditur, non evacuat erga eos prædestinationem ejus, quæ eos semper & presciuit in impietate sua permansuros, & prædestinavit fuisse perituros. In quo, Remigio planè assentimur, & cum morte Christi pro omnibus hominibus, prædestinationis & reprobationis veritatem conciliamus.

Dico 3. Remigium lib. de tenenda veritate, quartum Capitulum Carisiacum condemnare ex errore facti, quia nimirum Capitulum illud malè intellexerat, & putabat Patres Concilii Carisiaci definire voluisse, quod pro iis etiam, qui jam in impietate mortui, & æterno iudicio condemnati erant, Christus passus esset, ad eos ab inferis redimendos. Quod tam absurdum & erroneum est, quam si diceretur Christus esse mortuus pro Diabolo & Angelis ejus, ab æterna damnatione redimendis. Sicut ergo, inquit c. 14. pro illis impiis & damnatis Angelis nullatenus Dominus Jesus Christus dicendus est passus: ita pro istis impiis & damnatis hominibus absit omnino ut passus esse credatur: quia hoc nimis est contrarium divine veritati, nimis adversum Catholicam fidem, quæ indubitanter credit & docet, quod Dominus noster suam passionem & mortem atque ad inferos descensionem illis solis jam defunctis, & quavis apud inferos, tamen in locis tranquillitatis & lucis constitutis exhibuit, qui in fide futuri adventus ejus ac redemptionis & in hoc sæculo vixerant, & illuc per mortem transferant. Quod si ibidem negat Christum passum esse pro infidelibus post ipsum venturum, & in infidelitate sua moriturum, vel negat tantum, ut aliqui eruditi illum interpretantur, pro illis mortuum esse ex voluntate efficaci illos redimendi, vel certè ita negat, ut paratus sit sententiam mutare, si opposita sufficienter probata fuerit. De cætero vero, inquit c. 14. qui in ipsa infidelitate atque impietate sua perseverantes sunt perituri, si de Scriptura sancta autoritate, quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definiunt, dignum omnino est, ut credamus & nos.

Denique Synodi Valentinae censura nullatenus officere Capitulo quarto Carisiaco potest, ut facile ostenditur. Hic est Canon quartus Valentinae Synodi: De

redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti sint, effusum eum definiant, contra illud propheticum: Ero mors tua, o mors! ero morsus tuus, inferne! illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam & apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam . . . Porro Capitula quatuor, quæ à Concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati . . . à pio auditu fidelium penitus excludimus, &c. Hic tres sunt partes. In prima notantur asserentes Christum passum esse, ad jam mortuos & damnatos impios ad inferno redimendos. In secunda definitur Christum mortuum esse pro omnibus per evangelicam prædicationem convertendis ad fidem. In tertia proscribuntur quatuor Canones Synodi Carisiacæ, cum novemdecim Capitulis Joannis Scoti, verbis à nobis brevitate causa prætermisissis. Prima pars vel non petit Canonem Carisiacum, vel si petit, non petit nisi ex errore facti, & quia Canonem illum Patres Valentini malè intellexerunt: nam Canone Carisiaco non aliud pro impiis ante Christi passionem in sua impietate mortuis definitur, quam quod omnibus pro loco & tempore data fuerunt auxilia gratiæ ad salutem consequendam idonea, sicut & prædestinationis omnibus efficacia, & cum salute connexa, intuitu mortis Christi ad hoc jam oblata in præsentia. Cui doctrinæ non adveniat Synodus Valentina, sed è contra manifestè supponit illam Can. 2. ubi dicit: Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt. Quod generaliter dictum spectat omnes omnino impios, qui existerunt ante Christum, & post ipsum existerunt, & usque ad finem mundi extituri sunt. Secunda pars non contradicit Canoni Carisiaco. Qui enim præcisè affirmat Christum passum esse pro fidelibus, non negat passum esse pro omnibus omnino hominibus, ut per se clarum est. Tertia pars continet quidem censuram, sed nullius momenti, ut potè inconsultè & injustè latam; unde Synodus Lingonensis, & quæ Lingonensem confirmavit, Tullenensis, non ex tribus, ut Valentina, sed ex duodecim Provinciis congregata, Canonem quartum Valentinae Synodi approbavit; rejecta illa, & sola Capitulum Joannis Scoti retenta censura. Porro, inquit, Capitula novemdecim syllogismis ineptissime ac mendacissime à quodam Scoto conclusa . . . à pio auditu fidelium penitus excludimus, &c.

Addo à Synodo Valentina damnatam esse hæreticam eorum sententiam, qui tenebant Christum mortuum esse pro salute dumtaxat prædestinatorum. Patet ex Canone jam laudato, & Can. 5. ubi sic loquitur Synodus: Item firmissimè credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit à peccatis suis abluta: quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio . . . ex ipsa tamen multitudine fidelium & redemptionem, alios salvandi æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent . . . alios, qui noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisq; gratiam potius irritam facere præva doctrina vel vita, quam servare elegerunt (quique proinde in accepta justificationis gratia usque in finem perseverare potuerunt) ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.

nire. Quibus verbis clarè definitur baptizatos omnes, tam reprobos quàm prædestinatos, sanguine Christi redemptos esse. Quam definitionem confirmavit Nicolaus I. Pontifex maximus, teste Prudentio in Annalibus ab Hincmaro citatis epist. 24. & Annalibus Bertinianis ad annum 859. ubi hæc leguntur: *Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate gemine prædestinationis, & sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fufus sit, fideliter confirmat, & catholicè decernit.* Nullus autem hic superest tergiversandi locus. Qui enim simpliciter dicit Christi sanguinem fufum esse pro omnibus credentibus, dicit sanguinem Christi fufum esse pro æterna salute credentium omnium.

Obj. 5. Si Christus mortuus est pro reprobis, & pro illis oravit, non semper fuit auditus à Patre; nulli enim reprobi salvantur. Falsum conf. Nam ipse Christus Joan. 11. dicit: *Ego sciebam, quia semper me audis.* Ergo, &c. R. neg. seq. maj. Nam Christus pro reprobis mortem suam obtulit, non ex voluntate absoluta & efficaci salutis eorum, sed ex inefficaci & conditionata, ex ejus tamen parte sincerissima. Hæc autem voluntas fuit, ut justificarentur, & salutem consequerentur, modò ex parte sua ipsi facerent, quod in se est, si pervenirent ad ætatem adultam; aut parentes eorum, vel alii, qui deberent eis consulere, eis non deessent, si non essent ad ætatem adultam perventuri. Hæc autem voluntas fuit exaudita à Patre: nulli enim reprobi damnantur, nisi quia aut non faciunt quod in se est, si moriuntur post ætatem adultam; aut illis defunt ii, qui illorum curam gerere debent, si moriuntur in infanzia. Nam omnes reprobi adulti immediatè recipiunt pro loco & tempore auxilia ad salutem consequendam idonea: parvulis verò mediatè, in parentibus scilicet, vel iis qui tenentur illis providere, dantur media, quibus ad baptismi gratiam ante mortem perducerentur, nisi malitia vel negligentia hominum redderentur inutilia. *Ad prob. seq. maj. R.* ex eo, quòd nulli reprobi salvantur, malè concludi, Christum aut pro illis mortuum non esse, aut non semper fuisse auditum à Patre: cum inde sequatur tantum, quòd non sit passus pro illis ex absoluta & efficaci salutis eorum voluntate.

At inquit. Si Christus mortuus est pro reprobis, luit penas peccatis eorum debitas. Ergo si mortuus pro illis est, non possunt damnari. R. Christum morte sua luisse penas peccatis reproborum debitas, non absolute, sed sub conditione quòd per media à Deo præordinata, & ad hoc sufficientia, sibi ipsi applicent meritum mortis ejus. Quod cum non faciant, & ita conditio à Christo appositæ, ipsorum vitio non purificetur, justè ob peccata sua æternum puniuntur.

Obj. 6. Christus cognoscebat decretum, quo Deus ab æterno & invariabiliter statuit ex absoluta prævisione demeriti vel originalis, vel actualis, vel utriusque, ut permanfuri usque in finem, reprobos damnare. Ergo Christus non potuit ferri mortem suam offerre pro illis. R. dist. conf. Ergo non potuit ferri mortem suam offerre pro illis, ut consideratis secundum instans rationis, pro quo jam est in Deo decretum illos damnandi, C. conf. Ut consideratis secundum aliud instans rationis, virtualiter prius, N. conf. Nam pro illo instanti sunt tantum negativè reprobat, seu non electi ad gloriam, & ita Deus potuit pro illo instanti acceptare mortem Christi pro illis, ut ex voluntate inefficaci & conditionata oblatam in præsentia, & revera acceptavit, & intuitu illius, reprobus media ad salutem consequendam idonea ex inefficaci & conditionata tantum, sed simul sincera, & quantum est ex parte ipsius, sufficienti salutis eorum voluntate præparavit. Sed ad plenissimam præsentis controversiæ resolutionem, sit adhuc

Quantam certitudinem habeat hæc nostra sententia, quòd Deus velit sincerè salutem omnium hominum, nullo excepto.

RESPONSIO I.

QUòd Christus mortem suam obtulerit pro omnibus omnino hominibus ex sincero desiderio procurandi eorum salutem, certum est certitudine fidei.

Prob. Ex Apostolo 2. Cor. c. 5. ubi ait: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* In quæ verba sic habet Augustinus lib. 6. contra Julianum c. 4. *Vide quia consequens esse voluit (Apostolus) ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* Ex his autem sic argumentor, 1. Manifestum est, quòd hæc propositio, Christus pro omnibus mortuus est, tantam habeat latitudinem, & tantam certitudinem, quantam habet ista, Omnes in Adamo mortui sunt: Apostolus enim ex prima infert secundam. Atqui certum est certitudine fidei, quòd omnes, ab Adamo naturaliter descendentes, in illo mortui sint, nullo planè excepto: hoc enim negare, aut in dubium revocare, ut ait Augustinus, nemo potest, quin se Christianum neget. Ergo certum est certitudine fidei, quòd Christus mortuus sit pro omnibus, ab Adamo naturaliter descendentes, nullo planè excepto; & hoc secundum Augustinum nemo Christianus negare, aut in dubium revocare potest.

2. *Sic argumentor.* Ex Augustino, nemo Christianus negare, aut in dubium revocare potest, omnes, nullo excepto, mortuos esse in Adamo, quia Apostolus mortem omnium in Adamo infert ex morte Christi pro omnibus. Ergo ex Augustino certum est certitudine fidei, omnes, nullo excepto, mortuos esse in Adamo, quia mortem omnium in Adamo infert Apostolus ex morte Christi pro omnibus. Atqui ex eo, quòd Apostolus mortem omnium in Adamo infert ex morte Christi pro omnibus, certum esse non potest certitudine fidei, omnes, nullo excepto, in Adamo mortuos esse, nisi certum sit certitudine fidei, Christum pro omnibus, nullo excepto, mortem suam obtulisse, ut per se manifestum est. Ergo ex Augustino, quòd Christus pro omnibus omnino hominibus mortem suam obtulerit, certum est certitudine fidei.

RESPONSIO II.

Quòd Deus sincerè velit omnes adultos salvari, nullo excepto, certum est certitudine fidei.

Prob. Ex Apostolo 1. ad Timoth. c. 2. ubi sic loquitur: *Obsecro primum, omnium fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus... hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, &c.* In quæ Apostoli verba hæc scribit Author librorum de voc. Gent. lib. 1. c. 12. *De hac doctrina Apostolica regula, quæ Ecclesia universalis imbutur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid ipsa universalis Ecclesia sentiat, requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, imò per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes... pro omnibus hominibus... Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo non solum pro sanctis, & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi,*

K 2 pro

pro omnibus idolorum cultoribus; pro omnibus, qui Christum in membris ipsis persequuntur; pro Judæis pro hæreticis & schismaticis, &c. Ex his autem sic argumentor. In textu Apostoli hæc verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, tantam habent latitudinem & certitudinem, quantam habent ista, *Obsecro fieri obsecrationes pro omnibus hominibus*: priora enim continent rationem posteriorum. Atqui certum est certitudine fidei, quod Apostolus, obsecrans fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, intelligat saltem omnes omnino adultos. Ergo certum est certitudine fidei, quod etiam intelligat omnes omnino adultos, cum ait Deum velle omnes homines salvos fieri, *Prob. min.* Illud est certum certitudine fidei, quod universalis Ecclesia sentit præscriptum & intellectum ab Apostolo per hæc verba, *Obsecro fieri, &c.* Atqui universalis Ecclesia sentit, Apostolum per hæc verba, *Obsecro fieri, &c.* intellexisse omnes omnino adultos, & præscripsisse ut fiant obsecrationes pro omnibus omnino adultis, ut patet ex praxi ejus perpetua: nam, ut dicit Author laudatus, ex intentione obediendi Apostolo, semper oravit pro omnibus omnino adultis. Ergo certum est certitudine fidei, quod Apostolus, &c.

Hoc argumentum S. Prosper in responsione ad 2. obj. Vincentianam contrahit his verbis: *Sincerissime credendum atque proferendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Illud enim certum est certitudine fidei, quod Christiani omnes sincerissime credere & profiteri debent. Debet autem Christianus quilibet, juxta Propter, sincerissime credere & profiteri, Deum velle ut omnes salvi fiant, quia hæc est fides & professio universalis Ecclesie, ut patet ex praxi omnium Ecclesiarum particularium, in quibus, juxta præscriptum Apostoli, supplicationes Deo fiunt pro salute omnium hominum. Et verò hic mos supplicandi Deo pro salute omnium hominum, saltem adultorum, non custoditur piissime in omnibus Ecclesiis, nisi quia universalis Ecclesia credit, sicut monet Apostolus, hoc bonum esse & acceptum coram Salvatore nostro Deo, hoc est, coram Deo, quia Salvator est hominum; nec credit hoc bonum esse & acceptum coram Deo, quia Salvator hominum est, nisi quia credit Deum sincere velle, ut omnes saltem adulti salvi fiant. Ex praxi igitur omnium Ecclesiarum particularium rectè & aperte colligitur, quod Deus sincere velit, quantum est ex parte sua, salutem omnium saltem adultorum, fidem in universali Ecclesia semper fuisse, seu, quod idem est, universalem Ecclesiam, quæ circa Scripturarum sensum falli non potest, semper intellexisse verba Apostoli à nobis laudata, de omnibus saltem adultis. Simili argumento, quod observandum est, post Augustinum, gratuita prædestinationis fidem in Ecclesia semper fuisse, supra demonstravimus.

Dices. Inter Doctores Catholicos aliqui docent infideles adultos, qui toto vitæ decursu manent in infidelitate negativa, nullum toto vitæ decursu interioris gratiæ, sine qua tamen nemo salvari potest, auxilium accipere, *Resp.* Doctores illos nihilominus agnoscere in Deo veram aliquam & sinceram voluntatem salvandi infideles illos. Quomodo autem vera & sincera voluntas salvandi infideles illos stare possit cum denegatione omnis interioris gratiæ per totum vitæ decursum, ipsi viderint. Unum tantum Lectores admonebo, argumenta, quibus Doctores illi omnimodam infidelium negativorum derelictionem probare contendunt, aut levissima esse, aut etiam doctrinam ab Ecclesia damnatam continere. Sed de his aliis.

RESPONSIO III.

Quod Deus non solum adultos omnes, sed etiam omnes parvulos, etiam eos, qui dicuntur mori in utero

materno ex solo defectu causarum naturalium, aut nascuntur in iis circumstantiis, in quibus humanitas non potest illis succurrere ante mortem, salvos esse sincere desideret, certum est certitudine fidei.

Prob. ex 1. resp. sic. Quod Deus sincere velit salutem eorum omnium, pro quibus Christus mortuus est ex sincero salutis eorum procuranda desiderio, fides est universæ Ecclesie, cui hac in parte nulli contradicunt hæretici: unde qui unum negant, negant & alterum. Atqui certum est certitudine fidei, quod Christus mortem suam obtulerit pro salute etiam parvulorum illorum. Ergo certum est certitudine fidei, quod Deus etiam parvulorum illorum salutem sincere velit, quantum est ex parte sua. *Prob. min.* Nam certum est certitudine fidei, quod Christus mortem suam obtulerit pro salute eorum omnium, qui in Adamo mortui sunt. Atqui etiam parvuli illi in Adamo mortui sunt, & hoc est certum certitudine fidei. Ergo certè si, ut dicit S. Augustinus, nemo, qui non negat, aut dubitat se esse Christianum, negare aut dubitare potest omnes omnino, seminaliter conceptos, & consequenter parvulos illos, de quibus agitur, mortuos esse in Adamo, quia Apostolus dicit: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; à fortiori, secundum eundem Augustinum, nemo, qui non negat aut dubitat se esse Christianum, negare vel dubitare potest, Christum pro omnibus, seminaliter conceptis, nullo planè excepto, & consequenter etiam pro parvulis, de quibus agitur, sanguinem suum fuisse, & mortuum esse. Atqui, quod nemo Christianus sine jactura fidei negare, vel in dubium revocare potest, illud est certum certitudine fidei. Ergo secundum Augustinum, certum est certitudine fidei, Christum passum & mortuum esse etiam pro parvulis, de quibus agitur, & consequenter certum est certitudine fidei, Deum habere veram aliquam & sinceram voluntatem salutis eorum.

Dices. Inter Doctores Catholicos non desunt, qui negent Deum velle salutem parvulorum illorum; unde, ut consequenter loquantur, negant Christum pro illis aliter mortuum esse, quam quoad causæ communitatem, & magnitudinem atque potentiam pretii. R. 1. Illos manifestè repugnare Apostolo dicenti, *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Nam manifestè sensus illius est: Si unus mortuus est ex sincera intentione liberandi omnes à morte peccati, ergo omnes mortui sunt per peccatum; alioqui, ut per se clarum est, nulla esset illatio facta ab Apostolo. Præterea, hæc verba, *Unus pro omnibus mortuus est*, sumi debent in sensu proprio & obvio. Atqui sumpta in sensu proprio & obvio, significant Christum mortem suam Patri suo obtulisse ex sincera voluntate ut proderet omnibus ad salutem. Nam, ut agnoscit ipse Janfenius tom. 3. lib. 3. cap. 21. Christum esse passum, crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicit, quam nudè pretium sufficiens obtulisse, quod eis applicari noluit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos re ipsa de servitute liberaret. Hic etiam communis est fidelium sensus, sicut & evidens est fuisse S. Augustini variis locis supra laudatis, R. 2. Anteponendam esse S. Augustini auctoritatem paucissimis illis Doctoribus, qui in hac re lapsi sunt, non quidem ex animo hæretico, sed ex inconsideratione, non satis attendendo ad momenta assertionis nostræ.

Dices. Iplemet Augustinus sensit Deum pro nullo signo velle salutem parvulorum illorum, de quibus agitur. Ergo, &c. Ant. probari posset ex pluribus locis: unus sit pro omnibus. Itaque S. Doctor epist. 107. quæ est ad Vitalem, sic loquitur: *Quomodo dicitur omnes homines eam (gratiam) fuisse accepturos cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente, non detur, cum repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Resp.*

neg.

neg. ant. *Ad prob. R.* hanc voluntatem, secundum Augustinum, vel esse negationem efficaciae voluntatis procurandi parvulis illis gratiam baptismi: quo sensu dici potest de aliis, quibus succurri potest humanitus, & tamen non succurritur ob incuriam parentum aut ministrorum, quod illis, Deo nolente, baptismi gratia non detur: nam, si Deus vellet absolute & efficaciter eos baptizari, baptizarentur; vel esse positivam voluntatem parvulis illis non procurandi baptismum, sed consequentem tantum, quam scilicet Deus non habet, nisi consequenter ad absolutam provisionem alicujus culpae, vel incuriae, aut omissionis parentum, vel aliorum, ad quos parvulorum illorum cura pertinet, aut alicujus alterius circumstantiae vel conditionis. Hac autem voluntas consequens non impedit aliam antecedentem, qua Deus pro signo aliquo priori, sincere, quamvis ineffaciter, vult & desiderat parvulos illos baptismi gratiam consequi, & vi cuius voluntatis adhibet media aliqua ad hunc finem ex se idonea; aut saltem, sublati certis impedimentis, ab hominibus libere positis, & pendentibus, adhiberet. Hac autem antecedens voluntas supponit aliam veram & sinceram, qua Deus salutem parvulorum illorum desiderat. Poterit bonitas nostrae responsionis demonstratur ex eo, quod S. Augustinus, ut liquet ex dictis supra, mortem Christi pro parvulorum illorum salute oblatam habuerit ut dogma fidei. Manifestum autem est Christum mortem suam non obtulisse pro salute illorum, quorum salutis nullam, ne quidem inefficacem, in Deo voluntatem pro illo signo existere sciebat.

Dices. Quid ergo prohibuit Innocentium X. quominus contra Janenium definiret, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto? *R.* inter recentiores Theologos non desesse, qui contendunt id re ipsa ab Innocentio definitum esse in secunda parte quintae Propositionis, quae haec est, *Et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute damnatae praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, &c.* Praecipuum autem eorum momentum est, quia summus Pontifex damnavit ly *damnatae* in sensu ab Authore intento. Atqui cum Janenius asserit, Christum mortuum esse pro salute damnatae praedestinatorum, sensus ab eo intentus, clarissime expressus, & fuisse probatus, est hic, quod Christus ita mortuus sit pro salute solum praedestinatorum, ut non magis sit mortuus pro salute reliquorum omnium, quam pro salute demonum. Ergo, &c. Hanc propositionem damnavit summus Pontifex, damnando istam, quod Christus mortuus sit pro salute damnatae praedestinatorum. Ergo damnando istam, definivit Christum mortuum esse pro salute omnium hominum, nullo excepto; quod jam antea definiverat, aut sane tanquam certum & in fide indubitatum supposuerat Tridentinum sess. 6. cap. 3. his verbis: *Et si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, &c.* R. 2. Innocentium, supposito quod noluerit hoc definire, non ideo noluisse, quod res esset dubia nec definibilis; sed quia judicavit ad notandum Janenii librum sufficere, si praecise definiretur, Christum mortuum esse pro salute multorum aliorum, quam praedestinatorum. Denique, veritas illa, quod Christus mortem suam pro omnibus omnino hominibus obtulerit ea intentione, ut illis ad salutem prodesset, & ita quod Deus pro aliquo signo verè & sincere, quantum est ex parte sita, velit salutem omnium omnino hominum, quam contendimus habere fidei certitudinem, si nondum est apud Doctores Catholicos explorata, quantum opus est, ut qui ei contradicunt, haeretici sint, saltem fundatissima est in Scripturis & Traditione, receptissima in Scholis Catholicis, maxime consentanea divinae bonitati, & proximè definibilis.

APPENDIX

De Haeresibus circa Praedestinationem.

§. I.

Quid Pelagiani sentiant circa Praedestinationem.

1. **R** Ejiciunt gratiam inspirationis, seu adjutorium internum, receptum in voluntate, illamque intimè afficiens, & immediatè adjuvans ad bonum faciendum, & malum vitandum sicut oportet ad salutem. 2. Aut nullam interioris illustrationis gratiam admittunt, aut non admittunt, nisi ad hoc ut homo facilius bonum operetur, aut malum fugiat salutariter. 3. Volunt homini liberum, quod in creatione accepit, arbitrium cum externa gratia legis & doctrinae, quibus ad summum adjungunt exempla Christi, sufficere ad servandam totam legem, ad consequendum justificationis beneficium, & ad perseverandum, ac proinde & ad vitam aeternam obtinendam. Ex his, 4. docent, causam electionis ad gloriam esse bona opera naturalia liberi arbitrii, absolute praevia: sicut mala liberi arbitrii opera, absolute praevia, sunt causa decernendi poenam aeternam. Unde in Deo non aliam ante absolutam bonorum & malorum operum provisionem agnoscunt salvandi homines voluntatem, quam indifferentem & aequalem circa omnes, sicque omnem gratuitam electionem & discretionem rejiciunt.

Deus itaque, secundum Pelagianos, 1. omnibus hominibus ex indifferenti & circa omnes aequali voluntate salvandi illos, gratuito preparavit beneficium creationis, liberi arbitrii, & legis ac doctrinae. 2. Absolute praevit, quinam bene usuri erant libero arbitrio, quinam verò malè. 3. Iis, quos praevit libero arbitrio bene usuros, preparavit vitam aeternam, ut coronam & mercedem: iis verò, quos absolute praevit libero arbitrio malè usuros, decrevit supplicium aeternum. 4. Parvulos verò, quos innocentes nasci contendunt, Deus ex absoluta provisione mortis eorum ante adultam aetatem futurae, excludit quidem à regno coelorum, sed simul illis medium quandam inter regnum coelorum & aeternam damnationem beatitudinis locum preparavit.

§. II.

Quid sentiant Semipelagiani circa praedestinationem.

1. Contra Pelagium agnoscunt necessitatem interioris gratiae ad opera salutaria (è quorum tamen numero excludebant fidem inchoatam, orationem, & aliquos alios actus salutes) non solum perficienda, sed etiam inchoanda, & consequenter fatentur interioris inspirationis gratiam necessariam esse ad servandam legem, ad perseverandum, & ad consequendam vitam aeternam. 2. Tamen volunt, saltem regulariter, praere gratiae aliquos liberi arbitrii conatus, sic ut detur gratia iis, qui conatus illos eliciunt, & non detur iis, qui non eliciunt. 3. Deum etiam post absolutam provisionem peccati originalis habere voluntatem salvandi homines indifferentem & aequalem circa omnes. 4. Deum ab aeterno preparare gratiam iis, quos absolute praevit esse conaturos, & quod in se erit ex viribus arbitrii solius facturos, aliis verò non preparare. 5. Deum ab aeterno absolute praevidere hominum bona merita & perseverantiam, aliorum verò mala merita & impenitentiam finalem. 6. denique, his gloriam ut mercedem decernere propter bona merita, absolute praevia; aliis verò propter mala merita, etiam absolute praevia; decernere supplicium aeternum. Hac autem, sicut & ea quae de Pelagianis §. superiore dicta sunt, jam partim constant ex dictis hoc tractatu de utraque haeresi, partim constabunt ex dicendis in Tract. de Gratia.

§. III.

Quid sentiat Calvinus circa prædestinationem.

Secundum Calvinum, Deus, 1. ab æterno ante ab-
solutam prævisionem non solum peccati originalis,
sed etiam cuiuscumque alterius operis sive boni, si-
ve mali, ac proinde ex mero beneplacito suo, aliis vi-
tam æternam, aliis vero supplicium æternum præpa-
ravit. Unde secundum Calvinum, Deus non alios
vult salvari, quam prædestinatos, & Christus mortuus
est pro salute dumtaxat prædestinatorum. 2. Iis quos
elegit ad vitam æternam, dat in tempore fidem iusti-
ficantem, quam non possunt amittere, & gratiam
actualem, quæ tollit libertatem arbitrii, eorumque
peccata, quantumvis gravia sint, tegit per iusti-
tiam Christi eis imputatam. Iis vero quos ad sup-
plicium æternum elegit, negat fidem & omnem gra-
tiam, illosque ad peccandum impellit & necessitat.
Hæc autem facile probantur ex Calvinis scriptis.
Nam dicit lib. 3. instit. cap. 23. *Homines nudo Dei
arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mor-
tem prædestinantur.* Eod. lib. cap. 24. *Cum orat Chri-
stus pro omnibus electis, idem illis precatur quod Pe-
tro, ut nunquam deficiat fides eorum, ex quo elici-
mus extra periculum defectionis esse.* Lib. 2. cap. 3.
*Voluntatem movet (gratia) non qualiter multis se-
culis traditum est, ut nostra postea sit electionis,
motiō aut obtemperare, aut refragari, &c.* Eod.
lib. cap. 11. *Fides non in nobis, sed in Christo esse ju-
stitiam nostram.* Et c. 16. *Fide apprehendimus Christi
iustitiam, qua una Deo reconciliamur.* Lib. 3. cap. 22.
Non esse generalem fidem, quia specialis est electio. Et
c. 24. *Cum gratiam illis (electis) largiendo, hos (re-
probos) prætermittit? De aliis causam reddit Lucas,
quia ad vitam sunt ordinati: de aliis ergo quid sentien-
mus, nisi quia sunt vasa ire in contumeliam?* Lib. 1.
c. 18. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non li-
cet.* Lib. 3. c. 24. *Ecce vocem ad eos (reprobos) diri-
git, sed ut magis obscurdescant; lumen accendit, sed
ut redamur cæciores; doctrinam præfert, sed quam ma-
gis obfuscant; remedium adhibet, sed ne sanentur.*
Ex his apparet Calvinum fuisse Prædestinarianum.
Sed ex occasione data, fit

§. IV.

*Utrum ante Calvinum extiterit aliqua Præ-
destinarianorum secta.*

Exstitisse contendit Sirmundus noster, in Historia
Prædestinarianæ, undecim capitibus comprehensa. In
primo, post Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum
dicit, hanc sectam exordium impisse in Africa in
Monasterio Adrumetino, in quo ex male intellecta S.
Augustini Epistola 105. quæ est ad Sixtum, nonnulli
Monachi cœperunt dicere liberum hominis arbitrium
rolli per gratiam, cæteris liberum arbitrium defenden-
tibus.

In secundo dicit, motus, qui fuerant in Africa,
eosdem mox in Gallia haud paulo graviores, & diutur-
niores exortos esse anno Christi, ut conjicit, 439. ob
eandem Augustini de prædestinatione sententiam.
Hanc Prospero & Hilario præcipue causam fuisse, cur
ad Augustinum dandas epistolas putarint. Hoc demon-
strari ex his Prosperi verbis: *Hoc autem propositum vo-
cationis Dei, quo ante mundi initium, vel in ipsa con-
ditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum
dicitur facta discretio... & lapsis curam resurgendi adi-
mere, &c.* Quibus refert objectari solita contra do-
ctrinam Augustini, & ad Prædestinarianos errores
pertinentia. Contra hanc hæresim libros de præde-
stinatione, & bono perseverantiæ, ab Augustino scri-
ptos esse, Hincmarum testari. Prosperum tota sua Epi-
stola, ut Prædestinarianos convinceret, nihil aliud ab
Augustino efflagitare, quam ut divinæ prædestinati-
onis nodos & difficultates explicet.

In tertio dicit Prosperum & Hilarium, Augusti-
ni ad cœlos translato, Romanam protectionem su-

seepisse, & Cœlestinum Pontificem adfuisse, ut de Præ-
destinarianis expostularent; ab eoque Prædestinarianæ
hæreseos condemnationem impetrasse, ut testatur
Hincmarus in sua ad Nicolaum Papam Epistola.
Autorem Prædestinari testari librum Prædestinaria-
norum erroribus scatentem, & Augustino falso attri-
butum, à Cœlestino damnatum fuisse. Photium in
Bibliotheca sua c. 54. scribere quod mortuo S. Augu-
stino, cœperunt quidam ex Clero impium dogma sta-
nuere, ac de Augustino male loqui, eumque insectari,
quasi liberi arbitrii interitum induxisset. Verum Cœ-
lestinum Pontificem, & pro sancto viro, & contra hæ-
resis incontentores scribentem ad Episcopos ejus regionis, na-
scentem errorem compescuisse. Cœlestinum denique ad
Episcopos Galliarum contra Prædestinarianos scripsisse,
ex sola epistolæ lectione manifestum fieri.

In quarto dicit innominatum Autorem Prædesti-
nari librum à Prædestinarianis sub Augustini nomine ad
asserendam suam hæresim confectum, integrum edidisse
& refutasse, præmisso hæresum omnium elencho,
adjectaque ad cæteras Prædestinarianas: *Nonagesima*,
inquit, *hæresis, quam in præfatione nostra diximus de
nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestina-
torum nomen accepit.*

In quinto dicit, secundum, post Autorem Præ-
destinari, Prosperum quendam, qui cum Prospero
Aquitano in Gallia vixit, & Chronicum similiter
scripsit, Pitheci cura editum, inter hæreses Præde-
stinarianam collocare his verbis: *Prædestinatorum hæ-
resis, quæ ab Augustino accepta dicitur initium, vel,
ut edendum curavit Pithecius, quæ ab Augustini li-
bris male intellectis accepisse dicitur initium, his tem-
poribus serpere exorsa.*

In sexto profert Gennadium Massiliensem, qui, ut
ait, non librum de hæresibus edidit, sed quatuor
tantummodò hæresum appendicem adiecit ad S. Au-
gustini librum de hæresibus. In hac autem appendice
Gennadius primo loco ponit Prædestinarianorum
hæresim: *Prædestinariani sunt, inquit, quod Deus
non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes salventur,
sed ut multitudine hominum ornetur mundus, &c.*

In septimo duas profert Synodos, unam Arelaten-
sem, & alteram Lugdunensem, in quibus, quarto ad
finem vergente sæculo, Prædestinarianam hæresim
damnaram fuisse contendit.

In octavo addit Faustum Regiensem, iussu Conci-
lii Arelatensis, suos de gratia & libero arbitrio libros
contra Prædestinarianos scripsisse, & quanta in homi-
num existimatione fuerit hic Author, dum vixit,
brevis exponit.

In nono, inter Synodos, à quibus putat Prædesti-
narianam hæresim fuisse proscripam, numerandam
cenfer Arausicanam secundam.

In decimo dicit Ennodium Episcopum Ticinen-
sem, qui paucis annis ante Synodum Arausicanam vi-
vere desit, lib. 2. epist. 19. quæ est ad Constantium,
contra Prædestinarianos disputare.

In undecimo denique dicit Prædestinarianam hære-
sim, quæ trecentis amplius annis contiguerat in Gal-
lia, iterum Caroli Calvi sæculo excitatam esse à Go-
thelcalco Monacho, quem Rabanus in Concilio Mo-
guntino, & Hincmarus in Carisiaco condemnarunt.
Hæc sunt momenta, quibus sententiam suam de Præ-
destinarianæ hæresi quinto sæculo exorta stabilit Sirmundus, sed quæ facile exploduntur.

Itaque ad ea, quæ cap. 1. dicuntur, R. 1. Hincma-
ro opponendo Florum, qui eodem tempore vixit, &
in libro, quem contra Joannem Scotum Erigenam
scripsit iussu & nomine Ecclesiæ Lugdunensis, cu-
jus erat Diaconus, ita de Prædestinarianæ hæresi loqui-
tur cap. 4. *Non potest inveniri toto tempore, quod fuit in-
ter Augustinum & nos, aliquam talem hæresim in Eccle-
sia extitisse, nisi quod vel ipsum, vel nos, qui eum se-
ctamur, istius erroris accusant.* Quam verè loquatur
Florus, patebit ex infra dicendis. Resp. 2. animo-
rum quidem perturbationem aliquam in Monaste-
rio Adrumetensi ex Augustini ad Sixtum epistola ma-
lè in-

lè intellecta exortam esse, & nonnullos, Augustinum pravè intelligentes, ut gratiam assererent, ele-
vasse vel etiam omnino sustulisse liberum arbitrium:
at hoc neque fecerunt ex pertinacia & animo hæ-
retico, sed ex inculpabili difficillimæ questionis igno-
rantia, neque sectam aliquam invexerunt, & brevi
postea tempore, accepto & lecto S. Augustini libro de
gratia & libero arbitrio, errorem deposuerunt, &
quieverunt, ut testatur Valentinus Monasterii Præ-
positus, in sua ad Augustinum epistola, quæ est inter
Augustinianas ducentesima quinquagesima sexta. Ad-
de quod nullus veterum hos Monachos aut hæreti-
cos aut Prædestinianos fuisse dixerit.

Ad ea quæ dicuntur cap. 2. R. 1. motus in Gal-
lia non eisdem, sed diversis circa annum 425, ex-
citatos fuisse, non ab hominibus, qui, ut assererent
gratiam, negarent liberum arbitrium; sed è contra à
quibusdam Massiliensibus Presbyteris, qui, ut libe-
rum arbitrium assererent, negabant necessitatem gra-
tiæ ad actus quosdam salutare, quos initia bono-
rum operum vocitabant, simul tamen consistentes con-
tra Pelagianorum placita, gratiam ad opera saluta-
ria non solum perficienda, sed etiam incipienda ne-
cessariam esse: unde postea Semipelagiani dicti sunt.
2. Prosperum & Hilarium non contra Prædestina-
tianos, qui nulli tunc erant, sed contra Semipela-
gianos scripsisse ad Augustinum. 3. Augustinum li-
bros de Prædestinatione Sanctorum & de bono per-
severantia non contra Prædestinarianam, sed contra
Semipelagianam hæresim condidisse. 4. Propositum
de quo Prosper in sua ad Augustinum epistola lo-
quitur, esse illud, quod in suis contra Pelagianos li-
bris defendebat Augustinus, & quod criminabantur
Semipelagiani. 5. Prosperum in sua epistola Augu-
stinum consuluisse, ut responderet, non Prædestina-
tians, sed Semipelagianis, eorumque conatus repri-
meret. Patent hæc omnia ex epistolis Prosperi &
Hilarii, in quibus exponuntur errores Prædestina-
tians erroribus è diametro oppositi, & quos fuisse Se-
mipelagianorum placita nemo nescit. Patent ex li-
bris de præd. sanct. & de bono persever. in quibus
errores sibi à Prospero & Hilario delatos refutat
Augustinus, & simul respondet querimoniis, nun-
quam certè Prædestinarians hominibus in mentem
venturis.

Ad ea quæ dicuntur cap. 3. R. 1. Prosperum &
Hilarium, mortuo Augustino, Cælestinum Pontifi-
cem adiiisse, ut exposcularent de quibusdam Presby-
teris, qui in Gallia Augustino velut homini hæreti-
co obloquebantur, gratia necessitatem elevabant, &
plus æquo tribuebant libero arbitrio, quales certè
non fuissent Prædestinarians, qui totum gratiæ, ni-
hil libero arbitrio tribuissent, & Augustinum suum
esse mentiri, pro sectariorum more laudibus extul-
issent. Presbyteri igitur illi, contra quos Prosper &
Hilarius Romanam professionem susceperunt, alii
non fuerunt quam Pelagiani homines, aut quedam
Pelagianorum reliquæ. Patet ex prima Cælestini ad
Episcopos Galliæ epistola, ex occasione Prosperi &
Hilarii ad ipsum adventus scripta, in qua cap. 2. me-
moriæ Augustini contra ejus obrectatores defen-
dit, & cap. 3. sic loquitur: *Quia nonnulli, qui
Catholico nomine gloriantur, in damnatis heretico-
rum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demo-
rantes, piissimis disputatoribus obviare presumunt:
Et cum Pelagium atque Cælestium anathematizare non
dubitent, magistris tamen nostris, tanquam neces-
sarium modum exceperint, obloquuntur, eaque tantum-
modo sequi & probare presciterunt, quæ sacratissima
beati Apostoli Sedes contra inimicos gratiæ Dei per
ministerium Præfulum suorum sanxit & docuit. Ne-
cessarium igitur fuit, diligenter inquirere, quid Re-
flectores Romane Ecclesiæ de heresi, quæ eorum tem-
poribus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentis-
simos liberi arbitrii defensores quid de gratia Dei sen-
tiendum esse censuerint, ita ut etiam Africanorum Con-
ciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique*

Simonnet Theol. Tom. I.

*suas fecerunt Apostolici Antisites, cum probarunt,
&c.* Deinde quæ à summis Pontificibus, suis præ-
decessoribus, & ab Africanis Conciliis contra Pelagia-
nam pravitatem prolata fuerunt, compendiosè refert;
quibus sic liberum arbitrium defenditur, ut etiam sta-
bilitur necessitas gratiæ ad omnes & singulos actus
salutares, liberum arbitrium prævenientis, ipsum-
que non perimentis, sed præparantis, & ab infirmi-
tate ex originali peccato contracta sanantis. Quod
valet ad convincendos Semipelagianos, non gratiam
libeto arbitrio, sed liberum arbitrium gratiæ præire,
& aliquid, quod ad salutem conferat, se solo sine
gratiæ auxilio posse docentes. Præterea, homines il-
li, contra quos scribit Cælestinus, adhærebant sen-
sibus, quos jam Ecclesia in Pelagianis damnaverat;
& obloquebantur Augustino, tanquam modum ex-
cessisset in extollenda gratia, in elevando libero ar-
bitrio, & in prædicando proposito illo, quo ante
mundi constitutionem alii vasa in honorem, alii vasa
in contumeliam secundum placitum divinum facti es-
se dicuntur. Quorum sanè neutrum fecissent Præde-
stinarians.

R. 2. Photium esse manifestè nostrum: Nam ver-
ba laudata subiungit iis, quæ de Pelagianis commemo-
rat, & manifestè loquitur de quibusdam Pelagia-
norum reliquiis, hoc est, de Massiliensibus, qui Se-
mipelagiani dicti sunt, & gratiam liberi arbitrii pe-
dissequam faciebant, Augustinumque insectabantur,
quasi liberi arbitrii interitum induxisset, docendo sci-
licet illud ad nihil in ordine ad salutem consequen-
dam valere sine ope prævenientis inspirationis inter-
næ. Et verò quis in animum inducet suum, Præde-
stinarians, hoc est, homines liberi arbitrii hostes,
Augustinum insectaturos fuisse, tanquam liberi arbi-
trii eversores? Itaque secundum Photium, Cælesti-
nus sua ad Episcopos Galliæ epistola nascentem,
non Prædestinarianorum, sed Semipelagianorum er-
rorem compescuit. Itaque audiendus non est Au-
thor Prædestinati, Author incerti nominis, homo
Semipelagianis erroribus adductus, qui pro Præde-
stinarianorum erroribus refert, quæ Augustino vel
ejus discipulis objiciebant, & calumniosè imputabant
Semipelagiani. Ex his patet responsio ad ea quæ di-
cuntur capite quarto.

Ad quintum R. Chronicon illud esse opus suppositi-
tium, sub nomine Prosperi Aquitani à Semipelagianis
evulgatum. Nam Augustinum hæreticis accenser, &
Authorem hæreseos facit Prædestinarianæ; quam ca-
lumpniam tunc temporis à Semipelagianis tanto Doctore
factam esse, dubitare non sinunt veri Prosperi scripta.
Porro correctio Pithœana facta & edita est contra fi-
dem manuscriptorum, ut fateatur Sirmundus, proin-
deque prima lectio retinenda est. At, inquit, utrius-
que lectionis idem est sensus. Sed quibus hoc persua-
debit Sirmundi autoritas?

Ad sextum R. Gennadium, Massiliensem Presby-
terum, nullam hac in re fidem mereri. Nam 1. Se-
mipelagianorum, si non erroribus, saltem partibus
addictissimus fuit, ut patet ex Catalogo Scripto-
rum Ecclesiasticorum, ab eo concinnato, in quo
impensè laudat Cassianum & Faustum, Semipelagia-
norum Antesignanos; è contra verò Augustino &
Prospero Catholicæ veritatis contra Pelagianos &
Semipelagianos defensoribus malignè obrectat. 2.
In suo de hæresibus indiculo, in quo Prædestinarianam
refert, pro Prædestinarianorum erroribus ponit ea,
quæ Semipelagiani per calumpniam imponebant Au-
gustino. Nam v. gr. hæc Gennadii verba: *Prædestina-
tians sunt, qui dicunt quod Deus non omnes homines
ad hoc creavit, ut omnes salventur, sed ut multi-
tudo hominum ornatur mundus, manifestè coincidunt
cum Gallorum objectione 13. in qua dicitur, Quod
quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, ut vitam
adipiscerentur eternam, sed ut habuerint tantummodo se-
culi præsentis ornarent, &c.* Cætera, quæ ibidem
Prædestinarians attribuit, manifestè continent do-
ctrinam ab Augustino in libris de prædest. sanct. de

K 4 bono

bono perf. & de corr. & grat. traditam, sed ad invidiam tanto Doctore faciendam, malignè & calumniosè depravatam. Convincitur igitur Gennadius Augustinum & alios Catholicos, ejus doctrinæ adhærentes, sub nomine Prædestinarianorum traducere voluisse.

Ad septimum R. duas illas Synodos, Arelatensem scilicet & Lugdunensem, damnaſſe, non aliquam ſectam, ſed unum Presbyterum, nomine Lucidum, qui nullos habuit ſui erroris aſſeclas, & quo converſo, perverſum dogma, ei attributum, extinctum eſt.

Ad 8. R. Faustum, ab Arelatenſi Synodo juſſum contra Pelagianos ſcribere, neglecto Synodi mandato, non contra Prædeſtinianos, ſed contra Auguſtinum exaſſe libros ſuos de gratia & libero arbitrio, quos Gelafius in Concilio Romano 70. Episcoporum, & poſt Gelafium Hormiſdas in ſuo ad Poſſeſſorem Africanum Episcopum reſcripto condemnarunt; contra quos etiam ſcripſerunt S. Fulgentius, teſte S. Iſidoro lib. de viris illuſtribus cap. 14. S. Avitus Viennensis, & Joannes Maxentius, vir eximia eruditione præditus, ut teſtatur Ado Viennensis in Chronico anno 492. & Petrus Diaconus in lib. de Incarnatione & gratia Chriſti. Porro Faustum illum, quem tantopere commendat Sirmundus, S. Iſidorus loco citato accuſat profundæ calliditatis, & Baronius hominem vaſti conſilii & vulpeculam verſipellem appellat.

Ad 9. R. propositum fuiſſe Arauſicanæ Synodo, Semipelagianam proſtigare hæreſim, nec niſi oriter conſiſſe dogma Prædeſtinatianum, cap. 25. his verbis; Aliquis vero ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi qui ſunt qui tantum malum credere volunt, cum omni deteſta-

tione illis anathema dicimus. Ex quibus manifeſtè colligitur, nullam tunc temporis Prædeſtinarianorum ſectam extitiſſe, & Synodum non tam voluiſſe errorem aliquem conſigere, quàm impudentiſſimam Semipelagianorum adverſus Catholicos calumniam repellere.

R. ad 10. Ennodium laudata epiſtola non contra ſectam, ſed contra unum hominem ſcribere: Ergo, inquit, ut ſcriptione teſtamenti, inventus eſt homo..... aſſerens de arbitrii libertate in una tantum parte, que deterior eſt, eligendi datam eſſe licentiam. Quæ verba aperte militant contra Sirmundi ſententiam. Nam, oblecto, miratuſne eſſet Ennodius, unum inveniri hominem, qui negaret libertatem arbitrii circa bonum, ſi tunc aliqua Prædeſtinarianorum ſecta extiſſet in Gallia?

Ad 11. denique R. Gotheſcalcum Monachum nullos errorum ſuorum ſectatores habuiſſe, aut reliquiſſe.

Ex dictis hætenus apparet nullam fuiſſe Prædeſtinarianorum ſectam ſæculo quinto, aut ſexto, aut etiam nono; & Prædeſtinianos, qui dicuntur fuiſſe ſæculo quinto, non alios fuiſſe, quàm Catholicos, hoc invidioſo Prædeſtinarianorum nomine ab hæreticis Semipelagianis per inſignem calumniam vocitatos. Quod ampliùs declaratur ex eo, quod ſi tunc fuerunt Prædeſtiniani, non alia fuerunt eorum placita, quàm quæ continentur Capitulis Gallorum, & Vincentianis, quibus tamen, non hominum contra Catholicam veritatem dogmatizantium placita, ſed Semipelagianorum adverſus Auguſtinum & alios Catholicos impudentiſſima mendacia contineri, ex Proſperi ad hæc Capitala reſponſionibus manifeſtum eſt.

